DOMINICI CÆSARII

EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIA III.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

EPISTOLA I. Romam.

GREGORIO XV. PONT. MAX.

ISTIVS dignitatis faſtigium apud te, Beatiſs. Pater, collocatum haud cæco fortunæ beneficio, ſed tuæ virtuti, quę Illuſtriſſimorum Cardinalium, quaſi ſacrorum Cardinum, oculorum aciem in conclaui recluſit, communi omnium applauſu aſſignatur. Sic fit, vt tu

maximo Sacerdotio, non alienæ liberalitatis dono, ſed meritorum, quæ maxima ſunt, præmio fruaris. Felicem Rempubl. Chriſtianam! illius gubernaculum regente, qui nullis animi affectionibus regitur, ſed eas potius regens, quicquid eſt, non ſtudio, aut odio, ſed ſibi parentium vtilitati elargitur. Præ ceteris verò felicem Bononiam, quæ Eccleſiaſticas dignitates in ſuo iam fertili ſolo diu cõſepultas, nunc à te Patricio ſuo æquè, ac Terebinthio latiſſimos ramos explicare, & producere conſpicatur. Sicut ab huius Parochialis Eccleſiæ S. Michaelis cura me vnum inter multos renunciatum benignitas tua non excluſit, ſic cum ea Summo Pontificatu tibi maximè pronum gratulantem, ne excludas; dum ſanctiſſimos pedes oſculor, qui cum pacē inter Principes Chriſtianos diù fruſtra quæſitam, & ob id magis optatam, tandem aliquando nunciarint, nunc eos, & obſequij, & grati animi cauſa, nemo non lætiſſimus oſculatur. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA II. Romam.

LVDOVICO LVDOVISIO S. R. E. Cardinali creato.

PAulo V. piæ mem. Pontifici Max. Alexandrum Cardinalem Ludouiſium, Patruum tuum, te Cardinali Burgheſio in rerum adminiſtratione ſucceſſurum verò prædicere non magnum fuit negotium. Vbi merita apparent, non abſtruſa futurorum coniectura. Vtrumque tamen non præter augurium eueniſſe, nemo non maximè lætatur. In primis verò Bononienſes, ea ſpe freti, vt GREGORIVS XV. Põtifex electus, te deprecatore, è ſuis Ciuibus eligat, qui purpureo apice honeſtati, eodem alios maturè cohoneſtent. Ego iſtud gratulationis officium apud Summum Pontificem, humillimo (quod decebat) obſequio perſolutum, nunc tibi, Cardinalis Auguſtiſſime, perſoluo, non virium auctionem cum dignitate (iſtas enim maximas maximis rebus æquales experientia ipſa omnium oculis obijcit) ſed diutur-

nam, & felicem vitam, vnde totius Reip. Chriſtianæ felicitas pendet, reuerenti animo precatus. Bononiæ.

EPISTOLA III. Durantem.

FRANCISCO MARIAE FELTRIO de Ruuere Vrbinatium Duci.

QVi tibi, Dux inuictiſſime, obediunt, nullam maiorem iucunditatem ſentiunt, quàm famulatum exhibere, cui & morales, & ciuiles virtutes certatim ancillantur. Ego in ijs nulli concedo, & in Clericali etiam toga id ipſum tibi ſeruitium profiteor, quod olim natiuitas feliciter edixit, & magis magiſq. in dies meritorum tuorum celſitudo adauxit. In huiuſmodi cognitione mihi ipſi, ne dum officio meo deeſſe iudicaſſem, niſi Epiſtolarum mearum Centurijs nunc primum in lucem editis, celſitudinem tuam impertiſſem. Iſtarum volumen mitto, vt in ijs legas, quod ego ſatis nequeo explicare, mei ergæ te obſequij humilitatem. Equidem fateor, par-

partus eſſe, ſeu potius loquar, ingenij abortus. Verùm ea ſpe nitor fore, vt tu conſueta impulſus benignitate, qua aliena complecti conſueuiſti, conſiliorum tuorum ſublimitatem inclinare haud neglexeris, & legendo percurrere labores illius, qui cum omnibus tibi parentibus nihil in tuo imperio deſiderandum agnoſcit, præter æternitatem. Læto vultu, quod ſpero, excipias non donum, ſed tributum felicis de anno ineunte augurationis indicium, & cum Sereniſſimo Principe Filio communi ſubditorum ſolatio diù feliciſſimus viuas. Bononiæ.

EPISTOLA IV. Piſaurum.

FEDERICO FELTRIO de Ruuere Vrbinatium Principi.

Litteras tuas, Sereniſſime Princeps, pro Sereniſſimo Parente, cuius ſtylus podagræ doloribus retardatur, ad me reſcriptitias, eo, qui ſubditum decebat, obſequio, accepi. Quanto animi gaudio, ex-

plicent, qui minima quæque debiti cultus indicia Principi ſuo nihil non merito, non ingrata, neque irrita accidiſſe intelligunt. Ego id vnum explico, Sereniſſimi Parentis tui prudentiam, quam nemo non eximiè ſuſpicit, ac veneratur, quoniam illum Principem vndequaque perfectum oſtendit, vel inde conſtare, quod è prauis corporis affectionibus optimos animi effectus, nempè liberalitatem virtutum omnium maximam haurire conſueuit. Illius enim podagra me duplici honore cumulauit; altero à te, qui litteris meis benigniſſimè reſcribis; altero ab eo, qui, vt reſcriberes, mandauit. Pro iſta gratià, gratias agam? Non ita. Gratiarum actionem reſpuit, cui natura perpetuam à me deuinctionem aſſignauit. In ea lætiſſimus viuo, quia Principi, quem nemo non debere deſiderat, debeo. Neque eiuſmodi vinculo exolui cupio, donec naturæ debitum perſoluero. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA V. Romam.

FRANCISCO MARIAE SINIBALDO Protonotario Apoſtolico.

MVltos mortem acerbiſſimè deplorantes audiui, ſed ſi ad tuam facundiam, qui eamdem lamentaris, comparentur, ſinguli muſſitarunt. Quid reſpondeas, ſi interrogem, cur in mortem adeò vehementer inceſſis? Quoniam abſtulit Illuſtriſſimum Cardinalē de Aquino, quem multorum annorum ſpatio herum benigniſſimum habui; & quod peius eſt, abſtulit, cum vita magis indigeret ad ſui, famulorumque omnium magnitudinem. Si hac de cauſa heri mortem deploras, proprium damnum, non heri iacturam deploras. Sed fac, te iſtam deplorare. Cauſa quàm iuſta? Mors, dico, herum abſtulit. Si raptum examines, damnum à te abeſt. Nihil ex tuis rebus amiſiſti. Herum amiſi. Tuus non erat. Meum ſe fecit, cum me ſeruorum numero adſcripſit. Fecit non re, ſed verbo. Ecquis enim herus adeò imprudens, vt,

dum homines in ſui ſeruitium admittit, illorum ſe faciat? Si faceret, ſeruus eſſet, non herus: ſerui non ſerui eſſent, ſed heri. Sic præter intentionem ageret, mente captum præſeferret. Ergo herus meus non meus? Iterum nego. Quod noſtrum eſt, nobis auferri non poteſt. Tu herum amiſiſti? Tuus non erat. Cuius igitur? Mortis, quæ abſtulit, ſeu veriùs loquar, quod ſuum erat, repetijt. A dolore igitur, & querelis ceſſa, & Principes non melioris ea in re conditionis, quàm priuatos homines, mortales, inquam, non æternos conſidera. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA VI. Ferrariam.

CLAVDIO ACHILLINO I. C. in Ferrarienſi Gymnaſio Legum Interpreti primario.

MEam de Principis Aldobrandini litteris ſententiam rogas? Dicam ingenuè. Dum illas lego, aut legentes audio, nihil ſentio, à me abducor, abſtrahor, ipſe mihi

Digitized by Google

mihi eripior. O litteras admirationis, imò ſtuporis plenas! Taceat hoc loco Tacitus; qui Principis nomen & rebus, & verbis nō parum afferre, tacitè oſtendit. Excellentiſſimi enim Aldobrandini litterę à ſe magnę, non à Principe. Litteræ Principem augent, non Princeps litteras. Si Aldobrandinum Natura Principem non feciſſet, litteræ ipſæ Principatu digniſſimum conclamarent. Quid verò de tuis? Non minùs ingenuè loquar cum viro ingenuo, cuius merita me captiuum, humanitas, & liberalitas libertum fecerunt. Litteræ ſunt, quibus ſi Phœbo ad latialis linguæ reſtaurationem lites, litatio non ſit inanis. Litteræ ſunt, quæ Muſarum à ſecretis muneri te in Parnaſſo deſtinatum declarant. Iſtæ abundant rebus, quæ animum afficiant, non vocibus, quæ aurem tantum demulceant. Adeſt dicendi facundia, candor, puritas, elegantia, lepor, maieſtas. Eas qui legit, flores legit, quibus animum ornet: fructus capit, quibus eumdem paſcat; non rapit, quia illorum copia non deficit. Illic Plinij, illic Symmachi, illic Ariſtenęti

ima-

imaginem videas: & tamen Achillini ſunt, qui vti Achilles haſta fortiſſimos Duces vicit; ſic ipſe calamo eruditiſſimos Auctores antecellit. Quicquid felicitatis deeſt patriæ tuæ, in te vno, qui inſtar omnium es, abundantiſſimè compenſatur. Sed interim fortunata Ferraria, quæ eloquentiæ tuæ theſauro multorũ annorum ſpatio ditata, auri facta eſt, non amplius ferri ara. Contrà verò Bononia nô amplius bona omnia, quoniam abſentia tua non bona. Vt igitur affinium Ciuitatum nomina à rebus non diſſentiant, tu à patrio amore nihil diſſentias. Ferraria diſcedas, Bononiam redeas. Illic ferrum reliqueris, ad nos bona omnia tecum adduxeris. Verè enim Plautus,

Omnia aſſunt bona, quē penes eſt virtus.

Bononiæ.

EPISTOLA VII. Cæſenam.

MICHAELI ANGELO TONTO Cardinali Nazareno.

INter præſtantiſſimas animi tui dotes, quæ cum iſtius fulgentiſſimæ dignitatis ſplen-

ſplendore omnium ora, atque oculos in te conuertunt, benignitatẽ peculiariter agnoui; quinimo re ipſa expertus ſum, cum aditus ad te liberaliſſimus patuit, vt de annuo Alexãdri fratris Eccleſiaſtico cenſu, quem iſtius Xenodochij sãctiſſimi Crucifixi Præſidentes perſoluere iam triennio ipſo iniuriò ſiſſimi reſident, te præſens edocerem. Huiuſmodi virtutem tibi à Natura inditam, cum ætate enutritam, per dignitatum ſpiritualium gradus ad faſtigium elatam, litteris ratam habere voluiſti. Sed cùm manus primo congreſſu dederim, cùm victus fuerim, cur, obſecro, me arctiori vinculo obſtringendum iudicaſti, niſi vt maiore honore hominem, licet immeritum, impertires? Etenim in magni Principis ſeruitute, ſi ſeruitutis ſors non deſpiciatur, hæc æquidem eſt largior, quò inſpicientium oculis arctior apparet. Igitur tantùm abeſt, vt apud te, Cardinalis ampliſſime, ſeruitutis iugum detrectem, vt potius me illius cauſa fortunatiſſimum prædicem. Huius rei clariſſimum indicium fuerit optimum Chriſtianæ natiuitatis dierum, quod

præ-

præſentibus litteris ad te mitto, augurium. Illud, quicquid eſt, felicitatis (etiam ſi Neſtoreos annos attingerem) tibi velle poſſum, totum reijcio, & me, fratremq́ue meum ſingulari auctoritate fouere ne deſiſtas, humillimis precibus contendo. Bononię.

EPISTOLA VIII. Foroſempronium.

IVSTINIANO PICCINO Cathedralis Eccleſiæ Foroſempronienſis Præpoſito.

DOlor, qui aduerſa patroni fortuna in clientum animis excitatur, ab ipſius patroni meritis auctionem ſolet accipere. Merita erga me tua eximia ſunt, eximius etiam erit dolor, quem ex Io. Nicolai fratris tui filij acerbo, & improuiſo funere contraxi. Huiuſmodi nuncius amplam, quę nondum exaruit, oculis meis lacrymarum materiam ſuppeditauit. Sed magis tuam, qui defũctum vnicè diligebas, quàm ipſius defuncti ſortem deploro. Ille corporeis vinculis, nullo morborum ſtrepitu ſolu-

ſolutus, diuina miſeratione duce, morum innocentia comite, ad ſuperos expeditiſſimus euolauit. Tu apud nos defuncti imaginem in ſingulis filijs, in eius vxore inſpiciens, acutos ab æterna illius abſentia ſtimulos ægerrime ſubterfugis. Quid verò ægerrimè? Doloris ſtimuli, quamuis acutiſſimi non angunt virum inſigni prudentia, contra aduerſæ fortunę tela, munitum. Tu, qui in perpetuo luctu adcò prudenter doles, vt ceteris ſine modo dolentibus ſolatium afferre conſueueris, nunc me, qui inter clientes tibi addictiſſimos maximè doleo, ſolari ne recuſes. Id nullo negotio facies, ſi præſẽtes litteras doloris mei nuncias conſueta humanitate exceperis. Bononiæ.

EPISTOLA IX. Durantem.

IVLIO CAESARI SCYRO.

QVoniam quicquid laudabile à ſubditis manat, in Principis merita reijciendum, litterarum mearum edi-

editio illuc officij me impulit, vt illis Sereniſſimum Vrbini Ducem impertirem: non quòd in eis aliquid laude dignum agnoſcam, ſed quia laudem, amicorum (dico) obſequium, qui, vt typis committerem, ſuadebant, inſpexi. Verùm cùm iſta Curia neminem habeat, cui frequentior, ac liberior pro me ad Principem aditus pateat, illarum exemplum ad te mitto, vt illud Epiſtolæ adiunctum Duci perferas, & quaſi deprecator exornes. Quod ego elinguis nequeo, tu certè eloquentiſſimus explicabis. Ecquid audaciæ, huiuſmodi munus viro præclariſſimis animi dotibus æquè, ac ortus nobilitate ornato demandare? Claudius filius tuus mihi mandauit, vt, quicquid de ſe iuuene humaniſſimo, de te illius parente æqua lance mihi pollicerer. Claudio, qui in amicitiæ officio nihil claudicat, credidi, hoc mihi de te facilis ſumpſi. Sed quanto faciliùs curam à te mandata exequendi ſumerem! Ne de meis viribus nimis ſuperbè videar ſentire, quòd onus longè impar ſumere non dubitem, tu liberaliſſimus trade, & vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA X. Domum.

HENRICO DE SANCTO PETRO.

ILlud à me deſideras, & pro iure poſtulas, quod genio meo penitus aduerſatur. Verùm quid laudis clientibus debetur, qui proprij genij ductu patronis obtemperant? Illi plurimum merentur, qui ſuæ propenſioni nuncium remittunt. Vt ego in ijs ſim, qui animi gratitudinem oſtendunt, voluntati tuæ libentiſſimus adhærebo. Adhærebo (in quam) propria voluntate impulſus, quæ à tua voluntate pendere laudatiſſimum exiſtimat. Igitur quicquid tibi libuerit pro amico tuo efficiam: vt qui operam meam, te deprecatore, deſiderant, mandatis tuis vbique paratiſſimam cognoſcant. Ex Ædibus.

EPISTOLA XI. Bononiam.

ANTONIO RIDVLPHO.

POeticos luſus à te miſſos vidi, & ſtatim auctoris perditè amantis eſſe intellexi.

Vn-

Vndique ignem ſpirant, vndique ſingultus emittunt, ac ſuſpiria, quorum copia amantibus refertiſſima. O miſeros iuuenes, qui Amoris imperio ſubiacent! Quin potius miſerrimos, qui tyrannidem experiuntur. Tyrannidem, dico, ſæuiſſimam; quæ non corpus, ſed animum dilaniat, &, quod miſerius eſt, numquam ad mortem; quinimò ſemper ad vitam. Ad vitam, dico, quæ nunquam moriens, ſingulis horis, ſe mori ſentiat. Contra, ò felices, qui Amoris iugum detrectant. Vitam enim traducunt quietam, & tranquillam. Sunt, vbi maximè volunt: abſunt, vbi nolunt adeſſe, à ſe ipſis nunquam diuiſi. Vbi corpus, ibi animus. Ab aliorum voluntate non pendent, ipſi iure ſuo vtuntur. Studijs vacant, vt animum paſcant, non vt doloris acerbitatem per ſtylum euomant. Amorem igitur accuſas, quem nemo non laudat? Non Amorem accuſo, ſed amantes, qui natura liberi ſeruitium quæritant. Malo omnium maximo, quod ſi quis obijceret, quaſi peſtem, ſtudioſiſſimè vitarent, à ſenſu oblato, ipſi volentes, ac libentes obuiam eunt.

eunt. Non mirum igitur ſi, quaſi piſces hamo capti, vnde vitam ſperarunt, mortem accipiunt.

EPISTOLA XII. Romam.

BALTHASARI BOLOGNETTO Ord. S. Mariæ Seruorum Generali Magiſtro, S. Spiritus Commendatario creato.

DIgnitates eo pluris æſtimantur, quo à multis appeti conſueuerunt. Iſtam, quæ te ornat, nemo non plurimi facit, quoniam nemo non plurimum ambit. Apud te in dies magis, magiſque eluceſcet, quoniam non ambitio, ſed ſummum Summi Põtificis iudicium donauit, ſeu potius tuis, quæ non vulgaria ſunt, meritis retribuit. Nouit quippe Gregorius XV. iam Cardinalis, te Ordinis S. Mariæ Seruorum Vicarium Generalem, inde Generalem Magiſtrum ab anteceſſore ſuo piæ mem. Paulo V. declaratum, munus commiſſum, adeò prudenter, laudabiliter adeò geſſiſſe, vt non

indignus fueris, cui alterius triennij labor adderetur. Quid ergo mirum, ſi te S. Spiritus (quod aiunt) Commendatarium inter multos non parum ambientes renuntiauit? Gratulor, tibi maximis rebus adminiſtrandis nato, occaſionem eueniſſe, qua virtus tua omnium oculis conſpicua vires ſuas exerat. Apud multos virtus non apparet, quoniam arctè, contentèque in otio perpetuo detinetur. Tua extra otium per famæ ſtadium cò vſque curſuram exercebit, quò vſque ſummi honoris metam attigerit. Iſtud tibi auguror, & precor, non à fortuna, ſed ab ea, quæ non ſemel fortunæ in te impetum repreſſit, imò fortunæ ipſi dominata eſt, nempè à Prudentia. Ab ea te natum, ab ea optimo lacte enutritum, qui te nouerunt, affirmant. Ego, vt non multos, verum vt veritatem ſequar, id affirmo, meque per has litteras perpetuum tibi clientem addico. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA XIII. Romam.

VINCENTIO DE SANCTO PETRO Abbati.

CVr Epiſtolarum mearum Centurias nuper in lucem editas tibi dicarim, nihil eſt, quod iterũ in medium adducam, Illud ſatis mihi videor explicaſſe in nuncupatoria. Sed magis explicant tua, tuorumq. in me beneficia, quotidiana liberalitate magis aucta. Hinc non congruum fuit affirmaſſe, illas cuiuis potius, quàm tibi deberi. Tuæ (vt iam dixi) erant, teque non alium Mecœnatem expectabant. Quicquid igitur reſcribis, modeſtiæ tuæ, quam ſingularem ſemper cognoui, adſcribo. Gratias, quas agis, reijcio; ne muneris apud me vocabulum induat, quod proprie tributum nominatur. Tributum profectò eſt, ſed non ſatis: quoniam rebus verborum retributio non ſatis. Attamen quàm maximè lætor, grati animi indicium à me tibi gratiſſimum accidiſſe, hoc tantum triſtis, à me nihil proficiſci poſſe, quod voluntatem

meam meritorum tuorum magnitudini parem aſſequatur. Sed apud patronos nobiles, qui liberalitatem exercent, ſat eſt, clientes voluiſſe: cum animo æquali regula, animum potius, quàm rem ipſam regulæ imparem, metiantur. Tu me nihil mentiri credas, qui te Mecœnatem meum appello, cuius præſentiæ in rerum mearum turbis ſolatium deſiderans ſentio. Bononiæ.

EPISTOLA XIV. Durantem.

OCTAVIANO RVBEO.

NOn falſa Democriti ſententia, veritatem in imũ altiſſimi putei fundum demerſam, quam totis viribus oportet expiſcari. Hominum aliena voluptate dolentium inuidia multa de N. erga te fide blaterauit: Tu illud non oblitus: *Facilè credenti, ſæpè os oblinitur*, neque plenam eis fidem adhibuiſti, neque omnino ſubtraxiſti. Rei euentus aliud, aliud vetus eum N. amicitia ſuadebant. Tu inter ſaxum, ſacrumque ſtabas, quid verius credendum

non

non facilè reperiebas. Vicit tandem amicitia, quæ à fama aures mutuata de ipſius N. fide apud te dubitationem percepit: Illa veritatem in putei fundo expiſcata tandem aliquando extraxit. Lætabunda tibi obiecit, N. adeò fidelem eſſe, vt re tua haud felicem finem ſortita, temporum improbitatem, ac locorum anguſtiam, non amici voluntatem accuſandam ſuaſerit, locum deſideriò tuo conceſſum per litteras aperuit; tu illud ad accipiendum, vt reſcripſeras, imparatus recuſaſti. Hinc patuit, N. amicum omnium fideliſſimum, qui ſecus de illo locuti ſunt, nugas, & gerras, quod inſaniam, aut ficta, & falſa, quod inuidiam, arguit, locutos. Quorſum hæc? Gaudeo, N. tecum in gratiam rediiſſe: Gaudeo, N. fidem experientia ipſa non ſecus ac igne, & aqua probatam. Tu quid impoſterum iſtis blateronibus, quid amico credendum, non dubiè iudicabis. Multum enim valet experientia, vt contra iniquorum hominum artes; quæ vera eſt, pateat amicitia. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XV. Lucam.

IACOBO BERTOLANO I. C.

EGo ſum à Socrate, qui in hominis pectore ſpeculam deſiderabat, vnde illius cogitationes introſpicerentur. Quorſum hæc? Amicum habeo, nec recentem. Hunc ſæpè alloquor, illius conſuetudine ſæpè vtor, & tamen intima illius ſenſa verbis etiam expreſſa non aſſequor. Veriſſimè Auctor prudentiſſimus aiebat. Modium ſalis cum amico comedendum, priuſquã illum noueris. Multi linguam factioſam habent, fidem verò fluxam. At tu. Simulet, vel diſſimulet amicus tuus, ſi ab eo caueas; nihil vnquam damni facies. Rectè quidem. Verùm quis Argum imitetur? quis ſatis ad multorum aſtutiam oculatus? Non rarò accidit (vt ego re ipſa ſum expertus) vt, qui ſtudioſiſſimè cauet, ſtudioſiſſimè decipiatur. Deceptor ſemper plura, & maiora cogitat, quàm cautor. Tũ deceptor nullius mentem, & conſilia ſcrutari debet, quoniam ſolus decipit: ſed cautor, vt rectè

ca-

caueat deceptoris dolos, & fallacias teneat, neceſſe eſt. Hinc multi cautores decipiuntur; pauci deceptores capiuntur. Quod ſi ſecus eſſet, iſti multum decipere cupientes, parum deciperent; illi parum cauendo, ſatis cauerent. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XVI. Romam.

FRANCISCO BONCOMPAGNO Cardinali creato.

QVæ non vulgaris eſt clientum obſeruantia, officij celeritate in patronos cum vulgo certare non debet. Ego, qui te iam inde à puero virilem animum, viriles curas gerentem, vti magnum Principem decet, non vulgariter veneratus ſum, à vulgo, qui tibi Cardinalatus dignitatem per litteras gratulabatur, me abduxi, vt, qui virtutem tuam maiorum tuorum amplitudini æqualem ſupra omnes colerem, de tuis rebus proſperis ſupra omnes etiam lætitiam meam inter anguſtias clauſi pectoris geſtientem recluderem.

Poſt multos igitur tibi per litteras gratulor, qui ante multos animo gratulatus ſum, te Cardinalem videre, quem multo prius, etiam ſi ornamenta deeſſent, quoniam merita non deerant, Cardinalem agnoui. Tu in iſtis litteris, te quàm humillimè, vt ſacras veſtes honoris cauſa oſculentur, adeuntibus, obſequium, & reuerentiam à me tibi debitam agnoſce, & quem ante purpuram amaſti, nunc cum omnium applauſu purpuratus, obſecro, amare ne deſiſtas. Bononiæ.

EPISTOLA XVII. Romam.

MARCO TVLLIO MARIONO.

GRatius mihi certè accidiſſet, ſi de amico nihil rogaſſes. De illo memoria, nedum ſerino bilem in naſum concit. Si ita eſt, cur amicum nominas? Sibi amicus eſt, mihi inimiciſſimus. Et ſi interdum ex vinulis, ac mellitis verbis amicus apparet, amicitiam ſimulat, vt aliquid mihi ſubducat, quod ſi fortè impetrauit, conclamatum eſt,

po-

Digitized by Google

poſtea non amplius videas. Hanc artem omnium aſtutiſſimam noſtris temporibus multi didicerunt; qui dum obtinent, quod cupiunt, tui amantiſſimos dicas, ſed voti ſui compotes facti, ex amantiſſimis inimiciſsimi ſunt. Sępius mihi certum fuit, iſtum incertum amicum deſerere, & cauſæ tàm in procliui fuerunt, quàm imber cum pluit. Sed ſpes oſtendebatur, fore, vt alium hominem aliquando indueret. Hominem dico, qui amantem redamaret, ſibi prius conſuleret, ſed amicis etiam conſultum vellet. Nunc, quod video, imò quod ſentio, ipſe ſe amat, amicos ſpernit. Et tamen nunquam ſatis habes, quod des, licet omnia dederis, tamquam mare ſemper accipit, nunquam abundat. Imò vix accepit, quod voluit, cum ſtatim in promptu eſt aliud, quod petat. Si benefactum afferas, malefactum nominat, & ſi aliquãdo benefactum dicit, proprijs meritis aſsignat. Peccaui, fateor, quia nimium credidi. At quis non credat homini, qui erratum ſuum agnoſcat, neque tamen excuſet, quinimò in proprium genium inceſſet, tãquam nimis aſpe-

rum,

rum, nimis acerbum, nimis elatum, nunquam ſatis gratum; potius ſatis, ſuperque ingratum? Peccatum meum occludere conatus ſum ſaxo patientiæ. Hanc mihi pro futuram ſperaui, & eò magis, quod illinc doceri poteram, in poſterum diligẽtius cauere. Neque magnum negotium rebar mihi non ſemel, atque iterum, ſed ſæpè, ac ſæpius decepto, quia deceptio docet cautionem. Caui, ſed non vſque ad neceſsitatem. Verùm quis ſatis caueat à Protheo? à Sphinge? Ab iſtis

Qui cauet, ne decipiatur, vix cauet, cum etiam cauet,

Etiam cum caui ſſe ratus eſt, ſæpè is cautor captus eſt.

Pauca de amico ſui vnius amantiſsimo deſiderabas, multa accepiſti. Ille poſt hæc multa à me deſiderabit, nihil accipiet. Neque res, neque pro rebus ſaltem verba? Verba fortaſſe. Res nequaquam ſperet. Verba inquam, ſed aſpera, & acerba; vt quæ ſparſim in agro feraciſsimo ſeuit, & aceruatim, & pleno horreo ſe collegiſſe, glorietur. Vale.

EPI-

EPISTOLA XVIII. Eugubium.

MICHAELI ANGELO MEGANINO Humaniorum litterarum apud Eugubinos profeſſori publico.

SIlentium meum ſatis verboſum dixerim, quòd epiſtolas humanitatis plenas à te poteſt extorquere. Omnes profectò humanæ, beneuolæ omnes, præſertim verò nouiſsima, quæ feliciſsimum Chriſti Natiuitatis, & ineuntis anni, cum ſexcentis ſimul augurium ad nos attulit. Iſtud, quicquid eſt auſpicij, liberaliſsimus remitto, non vt debito iam cõtracto me eximam, ſed vt pro debito ipſo animi gratitudinem oſtendam. Verùm quid prodeſt comprobationis expers oſtenſio? Hanc ipſam cumulatè (ni fallor) comprobauero, ſi Epiſtolarum mearum Centurias ad te miſero: quas dum anxiè deſideras, amicè facis, qui tenues ingenij partus, ſeu veriùs dicam abortus plurimi facis. Deſiderium tuum diutius protrahi non ſinam, vtque tibi viro omnium amiciſsimo vndequaq. obſequar,

Cen-

Centurias ipſas me quamprimum miſſurum, & crebiore ſcriptura iſtuc acceſſurum promitto. Bononiæ.

EPISTOLA XIX. Runcos.

PETRO PAVLO IOANETTO.

QVid in iſta inamabili ſolitudine rerum geris? Quid cogitas? Amicorum nè oblitus horridam hyberno tempore ruris moram vrbanis delitijs, ac voluptatibus anteuertis? Si conſulto id agis, non recte ſentis, ſi inconſultò, nihil ſentis. Mirum tamen eſſet, te in ſenticeto nihil ſentire. Vtinam iſti ſentes, quaſi ſtimuli te ad nos quàm citiſsimè extimulent, agitentque. Sed pro ſentibus ſint præſentes litteræ, quę animum tuum illuc agitent, ne amici optata præſentia tua diutius careant. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA XX. Imolam.

THOMAE SERRAE.

AMicum noſtrum, quem abſens grauiter ægrotantem reliquiſti, tandem aliquando febris reliquit. A ſiti aridiſsima, vini auidus paruum cyathum ſingulis diebus à medicis impetrauit. Ille, cum plus æquo, & præſcripto hauſiſſet, nō Bacchum, ſed febrim haurire viſus eſt. Hinc morbus in dies magis, magisq́ue ingraueſcens, aliquem de ſalute ſua ſcrupulum fratribus, amicis, quin Medicis ipſis iniecit; adeò vt nemo Tullianum illud animo ſecum tacitus non repeteret: *Solent grauiores eſſe offenſiones, præſertim ſi quid culpa commiſſum eſt.* In eiuſmodi metu variè valens, medendo ægreſcere apparet. Nudius ſextus ſub veſperam, ex more, illum inuiſo. vt me videt, ægrè lacrymas tenet, me miſerum! exclamat. Ego, flebili voce audita, quid lamentaris? interrogo. Vita, reſpondet, in florenti ætate deſtitutus non lamenter? Mors horrida eſt, atque terribilis.

Cui ego. Quid mortem times? Iſta nihil, quod tuum eſt, tangit. Animam aufert? Tua non eſt. Animus tuus eſt? Hunc cures, ne tangat. Si prohibeas, certè non tanget. Corpus, quod ferit, mortale eſt. Iſtud ni feriret, animus immortalitatem non attingeret. Horatianum illud:

debemus morti nos, noſtraque,

commune omnium eſt. Fatalem igitur neceſsitatem, quæ non ſine vtilitate omnes expetit, ne deplores. At illæ. Non mortem, ſed mortis celeritatem, quæ immaturè me rapit, deploro. Ne immaturum, repeto, dicas, quod diuturnum eſt. Cum naſcimur, mori incipimus. Quòd xxij. anno conficitur, non immaturum appello. Tu iſta ætate hinc abiens, non immaturè, &, quod caput eſt, non imparatè abis. Iam tibi à Sacramento Pœnitentiæ parato, auguſtiſsimum Corporis Chriſti viaticũ paratur: viaticum, quod animum nutriat, quod viam hoſtili manu interclusam muniat. Quid igitur metuis? Metuant, qui improuisò pereunt. Metuant, qui Sacramentorum expertes fiunt. Tu illorum

com-

compos, potius gaudeas, qui vitam intermiſeris, non amiſeris. Hiſcè vocibus, quas auidiſsimis auribus excipiebat, non parum excitatus: O me felicem! ait, qui, ſi corpus, quod mortale eſt, apud mortales reliquero, animum apud immortales, immortalitati comendaro. Tu, optime Deus, Naturæ imbecillitati, obſecro, parcas. Vitæ nimium auidus fui, fateor. Sed illud à Natura eſt, quæ animi à corpore abitionem auerſatur. Tu, qui vitam rectiſsimo conſilio huic largiris, illi aufers, iſtam mihi arbitratu tuo largiaris, vel auferas. Si aufers, tua erit: Si largiris, à te erit. Morti me dederis? vitæ reſtitutum me dicam, qui vnde ad mortem properatur, eripior. Vitæ donaueris? iſto beneficio vitijs, vbi imprudens vixi, emoriar. Tum ad fratres conuerſus. Cur me à vobis abeuntem ploratis? Via communis eſt, atque ineuitabilis. Quam ego calcare oppono, nemo non calcabit. Non fletus, ſed preces me comitentur. Preces animo meo proſunt, fletus etiam corpori adhuc ſuperſtiti obſunt. Ego graui morbo excruciatus, dum vos mea

causa

cauſa afflictos video, hinc magis excrucior. Tunc laudo animi tranquillitatem; laudo voluntatem diuinæ voluntati obſequentem. Hanc perpetuò ſeruatam, vbi omnia tranquilla ſunt, ſecum afferat, rogo. Ille, vt noctem apud ſe traducam, de rebus diuinis aliquid diſſeram, rogat. Multa de peccatorum deteſtatione, de Inferorum ſupplicijs, de Purgatorio, de Gloria ſempiterna in medium affero. Præcipuè eximiam in nos Dei beneficentiam recenſeo, qui ſeruos ſuos ægrotantes inuiſere, propria carne pretioſiſsima nutrire non dedignetur. Iſtud beneficium omnium maximum animo euoluat, pietatis affectiones in Deum excitet, de corporis valetudine non laboret, animi firmitatem contra hoſtiles fallacias poſtulet, credat, ſperet, amet, doleat, admoneo. Credat ad ſalutem neceſſaria: ſperet peccatorum indulgentiam: amet Chriſtum Redemptorem: doleat vitam ante actam. Hæc omnia adamuſsim executus me cubitum mittit, ſacerdotali benedictione prius exorata. Noctē ſatis quietam habuit. Summo mane ſacratiſsimum Corporis

poris Chriſti viaticum ſuſcipit, &, quoniam in eo auctorem vitæ accipit, vitam ſe fatetur accepiſſe. Actutum (O prouidentiam diuinam!) cæpit conualeſcere, vultum exhilarare, voces magis articulatas proferre; domeſticos omnes, & amicos in certam incolumitatis confidentiam traducere. Non multo poſt adueniunt Medici, illum multo minùs ægrè habentem vident, mortis periculum, non artis, non Naturæ, Dei beneficio, abeſſe affirmant: bene ſperemus, iubent, ęgrotum conſolantur. Si abſtinens ex præſcripto viuat, breui liberum, & incolumen futurum promittunt. Nudiustertius non adeò benè, heri melius valuit. Quamobrem ex iſta accidentium varietate febrim, quæ fuit quotidiana in quartanam degeneraturam conijciunt. Morbi, qui in amicum noſtri amantiſſimum acerrimè graſſatus, plurimum remiſit, ordinem, & ſtatum habes. Tu in iſto anni tempore, quo plurimi valetudine, imò capite periclitantur, vale, & quandocumq. occaſio detur, ad nos litteras mitte.
Bononiæ.

EPISTOLA XXI.

AMICO CVIDAM.

ITer, quod nouiſſimè à te confectum ſcribis, pium ſimul, & impium appello. Si locum ſpectes, pium; impium, ſi comites: quoniam fœminæ. Iſtarum facies, & verba penitus angelica, res (ò monſtrum!) mortiferas emiſerunt. Exterius riſum, ludum, & iocum vidiſti, interius venenum, peſtem, & mortem expertus es. Hæc omnia, ab ore, ab oculis per oculos cor tuum attingentia, non mirum, ſi te excordem, inſanum, perditum fecerunt. O veneſitia! ò præſtigia! Tutiùs te aquis, tutiùs igni commiſiſſes. Aquæ vorant: ignis conſumit: comites tuæ, licet honeſtiſſimæ non vorantes, non conſumentes, te nullum, te nihil reddiderunt. Quid amplius amici quæritent, vnde tibi vultus macies, & pallor? Captus es; habes. Felices, qui hamos, & retia, vnde hominum animi, non corpora capiuntur, ſubterfugere nō ignorant. Verùm quis adeò ſapiens, vt nihil igno-

ignoret? Argus non ſatis videt. Lynceus non ſatis perſpicit. O N. omnium amantiſſime, hoc age, à fœminis caue. Vbi fœminæ, ibi ærumnæ. Illarum pedis, manus, oris, oculi motus improuiſus, ineuitabilis hominum interitus. Vale, & reſipiſce. Bononiæ.

EPISTOLA XXII. Parmam.

OCTAVIANO LEONARDO Sereniſſimi Parmenſium Ducis Auditori.

MIgninus litteras à te mihi oſtendit, Epiſtolarum mearum, quæ nouiſſimè in lucem prodierunt, teſtimonium. Cum iſta Curia, vt Principi, qui maximus eſt, reſpondeat, maxima ſit, quicquid ab ea eſt, plurimi facio. Attamen oratio tua, licet de me maximè laudabilis, nullam in me ſuperbientis animi affectionem excitauit. Si quid in ſcriptis meis commendatione dignum reperitur, totum diuino beneficio, vnde nihil non bonum, nihil nō perfectum

Digitized by Google

manat, acceptum refero. Quicquid vitioſum eſt,in me, quoniam à me, facillimè retorqueo. Ob id laudes non reijcio, ne ſpecie recuſantis (quod inquit Tacitus) flagrantiſſimè videar cupiuiſſe. Quinimò libens accipio, tamquam ſtimulos ad virtutis adeptionem acutiſſimos. Tu debitas à me gratiarum actiones accipias, non tam pro ipſo teſtimonio litteris tuis ad nos perlato, quam pro gaudio, quòd illinc te auidiſſimum percipere intelligo. Gaudij profectò cauſam habes. Cum enim præſtantiſſimis animi dotibus, quæ omnes in tui cultum, ac venerationem alliciunt, olim me totum addixerim, dum rebus meis proſperè fluentibus gaudes,tuis ipſis te gaudere optimè ſentis. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXIII. Foroſempronium.

IACOBO THOMASINO I. C. Foroſempron. Cathedralis Eccleſiæ Canonico.

QVod iſtinc de annonæ caritate, idem ex hiſcè finitimis regionibus multi per

per litteras nunciant, non minus, dico, caram fore, quàm cum maximo noſtro malo fuiſſe recordamur anno MDXC. quo tempore fames per Italiam vniuerſam crudeliſſimè graſſata, CCCCC. millia (vt non pauci narrant) hominum capita confecit. Sed quàm vereor, ne peſtis cum fame hoc anno in mortales ſæuitia decertet! Quàm vereor, ne qui timent, ne victu ad anni finem careant, ipſimet medio anno victui ſuppetant! Habemus prodigia. Palumbi, vacua apud Vmbros, & Picenos domicilia deſerentes, Mare tranſuolarunt, quaſi non loginquam contagij abſentiam præſenſerint. Quid futurum ſit, ex auium volatu prædici poſſe nō affirmo. Verùm illud non dubiè credo, imminentem peſtem (quoniam de peſte loquimur) illuc aues neceſſariò impellere, vt fugiant, non aues, vt contagia ingruant. Natura animantibus indidit, vt mala, quæ inſtant, quomodocumque licet, præſagiant. Illud maiores longa experientia edocti, poſteritatem diligentiſſimè docuerunt. Quamobrem hodie non pauci narrant, ſimilem palum-

borum abitionẽ anno MDXXXXVI. acerrimam peſtem non temerè in Italia prænunciatam. Si eiuſdem mali eueniat portentum, quid, obſecro, nobis futurum? Adeſt fames, non longè adeſt bellum, inſtat peſtis. Superum Regnator Deus noſtris ſceleribus ad iracundiam concitatus tria fulmina, quibus è cœlo nos petat, apprehendit: Nos citi ieiunium, eleemoſynam, & orationem, quæ Dei iram exarment, apprehendamus. Iſta, quaſi caduceatores, ad cœli, ac terræ Imperatorem mittamus, vt culpas noſtras, quibus ex Dei filijs hoſtes euaſimus, velatis manibus confiteantur, pacem exorent. Si Deus reſpondeat, improbitatem noſtram eò loci deueniſſe, vt vltimo ſupplicio digna ſit, illud ſaltem impetrent, vt poſt corporis in præſenti vita deartuationem, animis in æternum parcat. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA XXIV. Venetias.

BERNARDINO CORNIANO I. C.

DE ſororis tuæ filio nõ multis opus eſt, quia in paucis multa. Satis dixero, illud ſi affirmaro, adoleſcentem eſſe pium, & religioſum, & ob id verecundũ adeò, & modeſtum, vt cunctis amabilem, cunctis admirabilem ſe præbeat. Ego nihil miror, cum recogito, à ſorore tua natum, à te inter virtutes, quæ omnium maximæ, & ſpectatiſſimæ habentur, educatum. Si de ſtudijs quæras, quem mihi dabis tot animi dotibus refertum, qui ſtudia non amet? non amplexetur? non ſedulò exerceat? Rocchum numquam videas otioſum. Quicquid temporis Philoſophiæ, ac pulchrioribus litteris, quibus non parum delectatur, ſupereſt, ludis, contra iuuenum mores, ſubtrahit, fidibus, quas (vt noſti) apprimè pulſat, concedit. Sic ne minimum quidem horæ ſpatium in otio labi ſinit. Ego, vt illius animum aliquãdo introſpiciam, cur, mi Fideli, ab aliorum adoleſcentum mori-

bus longè adeò te abducis? cur nullam quietis partem animo impertis? Ille verò. In labore quietem, in quiete laborem ſentio. Tibi igitur ex animo gratulor, quod, ſi ſororis filium, non ſecus, atque ex te ipſo natum, diligis; ille te, non minus, quàm parentem colit, atque obſeruat. Virtutem ſequitur, non modo ipſius virtutis merito, verùm etiam, vt te virtutis amantiſſimum non mediocri afficiat oblectamento. Bononiæ.

EPISTOLA XXV. Patauium.

ZACHARIAE FRANZONIO.

VNde fit (auidiſſimè interrogas) vt nemo fortunam ſuam non deploret, & tamen alter alteri feliciſſimus videatur? Alterutrum neceſſe videri adiungis. Vel fortuna eſt iniqua, vel cupiditas noſtra nullis rebus contenta. Neutrũ profectò. Neque fortuna, neque cupiditas accuſanda. Fortuna donat, quod poteſt: cupiditas fortunæ donis acquieſcere non poteſt. Vt lineæ

quie-

quietem nuſquam inueniunt, niſi in centro, ſic animus noſter ſemper cupit, ſemper ambit, donec cœlum attingat. Humanis humana ſatisfaciunt, cœleſtes cœleſtia requirunt. Animus à cœlo eſt, propterea in cœlum anhelat. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXVI. Imolam.

THOMAE SESRAE.

O Spes hominum fallax! Quàm ſæpè, quàm facilè mentes illorum deludis! Sperauimus, & Medici ipſi ſpem ſuadebãt, fore, vt amicus citò conualeſceret, cuius febris quotidiana in quartanam videbatur degeneratura. Heri hora 13. diem ſuum impleuit, noſq. animi ægritudine compleuit, & eò magis, quòd eius valetudo in vado ſalutis credebatur. Hæc ſunt, quę, quãtum vires humanas reſpiciunt, haud credenda ſint, niſi videas. Triginta dies nos in ambiguo habuit de ſalute recuperanda. Poſtridie omnem ſcrupulum exemit, de funere certiſſimos fecit. O amicum inter plurimos

timos rarum! inter optimos carum! Doleo non vicem illius (hanc enim cum orbis terrarum imperio non bene commutaret,) ſed noſtram, qui iucundiſſimo illius aſpectu carentes, vitam iniucundam putamus. Sed ceſſent lacrymæ, & quem mortuum credimus (quoniam mortalem vitam reliquit) inter beatos ſpiritus æuo ſempiterno fruentem contemplemur. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXVII. Domum.

BERNARDINO MARISCOTTO.

IDilyum tuum vix publicam lucem aſpexerat, cùm ab Antonio Ridulpho communi amico aures meas, vt gratiſſimum faceret, ſubiuit. Vt ſtylum puriſſimum, vt voces dulciſſimas audio, ſuauem cantum, non raucā fritinitionem percipio. Cur igitur illi feciſti titulum Cicada? Verius nominaſſes Philomelam. At noui conſilium tuum. Non magnam laudem ducis efficere, vt Philomela cantet, Cicada fritinet. Natura hæc facit. Sed laudatiſſimum cenſes

ſes ex Cicada, quæ obſtrepere conſueuit, ſuauem concentum educere. Iſtam artem, cuius ęmulatio difficillima, tibi ſummoperè gratulor. Ecquis te Poetam celeberrimum non appellet, qui Cicadæ Philomelæ linguam adaptas? Tibi vni hoc licet, cuius ſtylus omnium aures, omnium animos vehementiſſimè afficit, affectos in perpetuam ſui admirationem adducit. Bononiæ.

EPISTOLA XXVIII. Foroſempronium.

LACTANTIO DE LACTANTIIS Theologo Foroſempronien. Eccleſiæ Cathedralis Canonico.

O Diuinæ Sapientiæ cōſilia à noſtro iudicio remotiſſima! Aliorū vita ad iuuētutem; aliorum ad vltimam ſenectā protrahitur. Nonnulli fame, multi aqua, plurimi ferro abſumuntur; non pauci præcipites dantur. Iſti ægerrimè, illi facillimè conficiuntur. Variam huius modi in communem locum abeundi viam, non ita facilè, vel ſapientiſſimo cuique diſpiciendam,

mihi

mihi animo obiecerunt litteræ tuæ, quibus acerbum, & improuiſum Ioannis Nicolai Piccini funus ad nos attuliſti. Mens nuntio lacrymabili commota, illud ſurſum verſum tacita ſecum commouit. Ergo vir nobiliſſimus optimè valēs cum vmbris cubitum petit, cum luce, communi luce priuatus, cadauer apparet? Tum lingua inuincibili dolore victa, cū Plauto exclamat

Nos humunculi quanti ſumus!

Dum putamur cum mortis imagine, infantium inſtar, colludere, mortis ludus miſerrimi ſumus. O miſeram vxorem, quæ dùm à viro dormiente foueri credit, ipſius letho, quod ſomnus apparet, frigeſcit! Ecquid tenuit, quò minùs doloris ſæuitia illius animum amantiſſimi viri animo coniungendum è corporis ergaſtulo traheret! Scimus, multas fœminas ſexus fragilitate impatientes, per breuem doloris ſemitam, mortem, quæ nimis cunctabunda videbatur, præueniſſe. Ita certè. Sed Erſilia, licet coniugalis amoris ardentiſſima, dum acerrimis doloris ictibus peteretur, prudentiæ ſcuto, ſupra fœminæ artem, ſe obtexit:

mor-

morbo, cui nulla congruens apparebat medicina, ſalutarem à patientia fecit medicinam. Ioannis Nicolai igitur optimi patricij manibus optimam à Deo ſalutem exoremus; iſtius laudatiſſimę fœminæ, quę in mariti funere inopinato conſtantiſſimè durauit, exemplum, æterna memoria proſequamur. Bononiæ.

EPISTOLA XXIX. Oliſyppum.

OCTAVIO ACCORROMBONO Foroſempronij Epiſcopo, pro Sede Apoſtolica in Luſitania Collectori, Vrbinatium Archiepiſcopo renunciato.

QVàm multum tibi debeam, Illuſtriſſime Præſul, à te Clericali habitu inſignitus, optimis litteris, optimiſque moribus imbutus, non tu ingenita benignitate præpeditus, non ego nullius iudicij compos, non alius quiſquam tuorum erga me meritorum inſcius iudicabit. Tu clientes tuos à te non parùm mereri: ego,

ego, quicquid ſum, à te eſſe affirmabo, alij omnino ſilebunt. Fac iſtos prudenter ſilere, quoniam nihil melius ſilentio loquerētur, ego quid etiam non ſum (quoniam à te pluris eſſe potuiſſem, & vitio meo non fui) acceptum debeo referre. Si quid tuorum clientum meriti eſt, à tua liberalitate, quæ nihil proprium exiſtimat, omnino eſt. Hinc fit, cur Archiepiſcopatus dignitate, quam nuper accepiſti, maximè gaudeam, vt hinc etiam clientelæ meæ non obſcura indicia appareant. Sed magis gaudeant Vrbinates, qui, ſi patriam ſuam Metropolim eſſe gloriantur, Archiepiſcopum etiam acceperunt Summi Pontif. benignitate à Luſitania, vbi pro Sede Apoſtol. Collecturam laudatiſſimè gerebat, accerſitum. Archiepiſcopum dico, inter omnes Præſules, ætate, ſcientia, morum caſtimonia, primatem: qui à florenti ætate vſq. ad ſenectam, Foroſempronienſium Epiſcopus nihil geſſit, locutus eſt, cogitauit, quod vniuerſo ciuium iudicio, prudentiſſimo Catone dignum non fuerit. Ego teſtis oculatus, nihil ſupra veritatem conſtantiſſimè affirmo,

quic-

quicquid boni erat Foroſempronio patria mea abdicaſſe, ſimul atque tu, Accorombone Illuſtriſſime, illius ſpirituali cura abdicaſti. Quot pauperes, qui à te ſtatis ſingularum hebdomadum diebus & publicè, & priuatim alebantur, illud exclamantes audiui.

Tum demum homines noſtra intelligimus bona,
Cùm, quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.

Quot ad vltimam vitę lineam deducti inter ſingultus, & ſuſpiria illud verbum emiſerunt, ſi ab Epiſcopo Accorombono, qui grauiſſimè ægrotantes, nulla hominum conditionis ratione habita, Apoſtolica benedictione impertire conſueuerat, viſerentur, ſe optima valetudine impertiendos! Eſt igitur ciuibus meis, cur non parum Vrbinatibus inuideant, quibus Archiepiſcopus contigit, non ab hominibus datus, ſed tamquam ex annalium memoria, aut potius è cœlo in Vrbini Prouinciã delapſus. Non inuideant. Eiſdem potius, quin ſibi ipſis tanta felicitate, quæ cum animum

re-

reſpiciat, rerum ſummam reſpicit, gratulentur. Cùm enim *à capite bona valetudo*, dum tu conſueta pietate adductus Eccleſiæ tuæ Eccleſiarum omnium, quæ Vrbini ditione continentur, capiti medicinam facias, Foroſempronienſis quoque Eccleſia, quæ membrum eſt, non niſi optimè valebit. Sicut à ſuperis videtur eſſe, vt Foroſempronienſes à te aliquod beneficium ſemper accipiant, ita à ſuperis ſit, vt in dies feliciora tibi gratulentur. Ego in ijs facem præfero, qui in ijs tibi plurimum debeo. Interim me tuum iam inde à puero clientem per iſtas quaſi internuncias litteras agnoſcas, humillimè procumbens precor. Bononiæ.

EPISTOLA XXX. Romam.

MARCO ANTONIO GOZADINO Cardinali creato.

PVrpureum apicem, quem alij ab vnico tribuentis iudicio, tu & ab eo, & ab omnium nihil inani auguratione accepiſti. Quid

Quid verò mirum? Omnes nouerunt, virtutem tuam non minùs, quàm cum Summo Pontifice conſanguinitatem ad ipſius Pontificis gratiam tibi comparandam valuiſſe. Hinc plurimum valet illorum ſententia, qui iſtam dignitatem, non familiæ tuæ nobiliſſimæ donum, ſed meritorum præmium, exiſtimant. Dum ciues tui Bononienſes vniuerſi iſtius felicitatis auctionem tibi gratulantur; cur ego cum illis huiuſmodi officio non decertem, qui huiuſcè Parochialis S. Michaelis Curatus; cum omnibus Illuſtriſſimi Equitis fratris tui clientibus obſequio, & obſeruantia decerto? Tu benignitatem experientia ipſa omnibus notam in hominem, licet paruū meritum (ſi libeat) exerce: me in patrocinium tuum iam diù addictum, nunc per litteras humillimè accedentem excipe, & patriæ tuæ, quin Chriſtianæ Reipub. columen diu feliciſſimus viue. Bononiæ.

reſpiciat, rerum ſummam reſpicit, gratulentur. Cùm enim *à capite bona valetudo*, dum tu conſueta pietate adductus Eccleſiæ tuæ Eccleſiarum omnium, quæ Vrbini ditione continentur, capiti medicinam facias, Foroſempronienſis quoque Eccleſia, quæ membrum eſt, non niſi optimè valebit. Sicut à ſuperis videtur eſſe, vt Foroſempronienſes à te aliquod beneficium ſemper accipiant, ita à ſuperis ſit, vt in dies feliciora tibi gratulentur. Ego in ijs facem præfero, qui in ijs tibi plurimum debeo. Interim me tuum iam inde à puero clientem per iſtas quaſi internuncias litteras agnoſcas, humillimè procumbens precor. Bononiæ.

EPISTOLA XXX. Romam.

MARCO ANTONIO GOZADINO Cardinali creato.

PVrpureum apicem, quem alij ab vnico tribuentis iudicio, tu & ab eo, & ab omnium nihil inani auguratione accepiſti.

Quid

Quid verò mirum? Omnes nouerunt, virtutem tuam non minùs, quàm cum Summo Pontifice conſanguinitatem ad ipſius Pontificis gratiam tibi comparandam valuiſſe. Hinc plurimum valet illorum ſententia, qui iſtam dignitatem, non familiæ tuæ nobiliſſimæ donum, ſed meritorum præmium, exiſtimant. Dum ciues tui Bononienſes vniuerſi iſtius felicitatis auctionem tibi gratulantur, cur ego cum illis huiuſmodi officio non decertem, qui huiuſcè Parochialis S. Michaelis Curatus, cum omnibus Illuſtriſſimi Equitis fratris tui clientibus obſequio, & obſeruantia decerto? Tu benignitatem experientia ipſa omnibus notam in hominem, licet parua meritum (ſi libeat) exerce: me in patrocinium tuum iam diù addictum, nunc per litteras humillimè accedentem excipe, & patriæ tuæ, quin Chriſtianæ Reipub. columen diu feliciſſimus viue. Bononiæ.

EPISTOLA XXXI. Bononiam.

FRANCISCO GOZADINO
Equiti Hieroſolymitano.

HVmanæ ſorti peculiare adſcriptum videtur, vt quamdiù alicuius præſtantiſſimi viri merita iaceant, omnes erigere deſiderent; erecta exoſi intueantur. Sed de tuo Fratre Illuſtriſſimo, totum aliud experimur. Iam Cardinalitiæ dignitati aptum, hanc ipſam modò aſſecutum, nihil ſupra ſe ipſum prædicant accepiſſe. Tibi patrono benigniſſimo ſūmoperè gratulor, honorem profectò, qui cùm maximus ſit, laudatiſſimam N. ex Gozadinorum familia Cardinalis memoriam renouabit: ſed multo magis communē omnium applauſum, qui & Cardinali, & tibi, & vniuerſæ domui, perpetuam felicitatem auguratur. Fratrem habes Purpuratorum Senatui adſcriptum, ordine inter nouiſſimos, virtutum ſplendore inter primos. Cardinalem, dico, doctrina, ſapientia, Summo Pontifici gratiſſimum; vnde Eccleſia

ſia non parum opis ſe acceptaturā confidit. Illic tibi maior adeſt lætitiæ cauſa, quòd Frater ſolus accepit, cunctis, rei acceptæ vſuram liberaliſſimus ſoluit. Is purpureo galero ſibi donato, ſeu potius proprijs meritis retributo, ſolus fruitur: eius ſingularis beneficentia in ſingulos deriuatur. Ex Villa.

EPISTOLA XXXII. Lucam.

CLAVDIO TEGRIMIO.

O Quoties amicum per litteras admonui, vt rebus ſuis conſuleret, ſe illorum conſuetudini eximeret: quos ad fortunarum, capitis, honoris exitium curſitantes nemo, niſi cæcus, non videt! Verùm quid profui? Rem actam egi. Quicquid profectus ſperabā ex meo erga illum amore, ex illius erga me fide, in ſexcentos animi angores, ac ſolicitudines degenerauit.

—— *heù, lubrica moribus ætas!*

Heù iuuentus incredula! Hæc dum viuendi libertatem affectat, ſeruitutem, & pro-

Digitized by Google

fectò acerbam quæritat. Quàm præſtaret iuuentuti, ex alieno præſcripto viuere, ſuos mores ex maiorum ſuorum moribus fingere; donec rectè ſapiens, rectè ſentiens, alienis conſilijs non indigeret. Et ſi conſilijs meis aures occluſit: attamen illius vicem doleo, & eò magis, quòd ex humano conſilio nihil pro illo ſperandum adiungis. Ergo de N. ſalute ſpes omnis decollauit? Iſta, ſi, diuino fauore non nihil redeat, tu per chartaceum æquor (liceat cum poetis loqui) ad nos redi. Operam meam afflictis nihil otioſam deſidero: quoniam,

Amicus certus in rè incerta cernitur.

Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXIII.

AMICO CVIDAM.

DVm iſtam mentem ægerrimè ponis, licet ægerrimè te habuerit, habeatq. doleo, & ſimul indulgeo. Amor poteſt abire, detrudi non poteſt. Qui nihil inuitatus venit, inuitus diſcedit. Heù hominis mi-

miſeriam! Externos hoſtes à ſe propellit, ab internis, qui plus nocent, cauere non poteſt! Imò pectore ſerpentem fouens, proprio cruore nutrit; vnde necem accipiat! Quàm verum, quàm experientia ipſa comprobatum, quod vulgo circumfertur.

Principijs obſta: ſerò medicina paratur,
Cùm mala perlongas conualuere moras.

Tu tamen tibi ne deſis: ne deſpera. Fortiter luctare cum iſto aduerſario. Aderit, qui vires præſtet, vnde in terram allidas. Sed caue, ne priùs te ſupplantet. Amor doloſus luctator eſt, pedes primùm petit, nẽpè affectiones. Iſtarum potitus, arcem habet, dico animum. Tu, vt hoſtem repellas, arcem tene; in ea firmus, & conſtans virtutes morales, tamquam arcem extructiſſimam, oppone. Omnino dura, vt vincas: animo non minùs, quàm corpore valeas. Bononiæ.

EPISTOLA XXXIV.

GALEATIO ZAVALIO.

EGo Curialium mores non teneo, quia quiduis potius mihi curæ eſt, quàm ipſa Curia. Attamen, ſi licet, quid ſentiam loqui, illis non adhæreo, qui, Principum gratiam aſſentatoribus tantùm pararam affirmant. Iſtam non omnibus in rebus voluntatis aſſenſu, at proprio ſeruitutis aſſeſſu parari exiſtimo, viri omnium Aulicorum magiſtri, nempè Taciti teſtimonio ſuffultus; qui ſcribens de Auguſto, ait: *Ceteri nobilium, quanto quis ſeruitio promptior, opibus, & honoribus extollerentur.* Neque credas, hoc felicis illius ſæculi proprium fuiſſe: quoniam corruptis etiam moribus non defuerunt, qui adulationem auerſantes, apud Tiberium gratia florebant. Inter quos Lepidus vir grauis, & ſapiens numeratur; qui, vt idem Tacitus ſcribit: *Pleraq; ab ſęuis adulationibus aliorum, in melius deflexit; neque tamen temperamenti egebat, cùm æquabili auctoritate,*

te,

te, & gratia apud Tiberium viguerit. Et quoniam quæris, vnde fiat, vt Aulicorum alij Principibus cari, alij verò inuiſi, noſtris temporibus, appareant, hanc quęſtionem nec ipſi Tacito conſtitiſſe video. Quare multo minùs mihi eluceſcet. Sed ne inanis à me redeas, ad prædictum Auctorem auribus redi; qui de re propoſita nihil decernens, ita loquitur: *Vnde dubitare cogor, fato, & ſorte naſcendi, vt cetera; ita Principum inclinatio in hos, offenſio in illos: an ſit aliquid in noſtris conſilijs, liceatq́; inter abruptam contumaciam, & deforme obſequium pergere iter ambitione, ac periculis vacuum.* Vale.

EPISTOLA XXXV. In Villam.

BERNARDINO BENSIGNATO Doctori Theologo Bonon. Collegiato.

O Litterarum tuarum medicinam apprimè ſalutarem! Illas Æſculapius, aut alius quiſpiam diuinus homo conſcripſit. Vix oculos meos ſubierunt, cum ani-

mũs deſęcationem ſubijt, priſtino gradui reſtitutus. Animi agitationem, malum omnium maximum nemo diffitetur: quia meliorem noſtri partem, vnde ſumus, vnde viuimus, attingit. At ego, ſi vera fateri libeat (quod certè libet) iſtud, quicquid eſt mali, non auerſarer; quin potius libens amplecterer, ſi à te non fruſtra medicinam ſperarem. Hæc adeò dulcis, adeò iucunda, vt malum ipſum dulce, & iucundum, præter naturæ ordinem, efficiat. Illud poteſt opportunus amicus, quo, ex mea, imò aliorum, qui plus ſapiunt, ſententia, nihil amicius, nihil vtilius. Tu verò inter opportunos omnium maximè opportunus; qui ægritudine mea vix audita, de medicina cogitas, inuentam opportunè adeò apponis, vt mærorem non leuatum, non imminutum, ſed abſterſum, ac dilutum ſentiam. Gratiam tibi non refero, quia non poſſum: non ago, quia rebus verba reponere non licet. Certè habebo, vt, quoniam habere animi eſt, animus officium ſuum præſtet; qui beneficium accepit, accepti debitum perſoluat. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA XXXVI. Bononiam.

FRANCISCO GOZADINO Equiti Hieroſolymitano Commendatario renunciato.

MErita, quæ, ſicut mortua, aliquandiù iacere conſpiciuntur, re vera non ſunt mortua, ſed iacent; vt viribus ex diuturna quiete reſtauratis, hominum conſpectui appareant clariora. Illud in te, Eques nobiliſſime, iure optimo retorqueri poſſe exiſtimo; cuius merita iamdiu conſepulta, hodie in publicam lucem prodierũt, adeò clara, vt contuentibus aciem facillimè retundant. Non multi ſunt dies, quibus Marcum Antonium vnicum fratrem purpureo apice à Gregorio XV. decoratum vidiſti. Nunc tu ab eodem Commendam (ſic vulgo appellant) celeberrimam accipis. Hinc certè fit, cur clientes tui ſibi non parùm gaudeant, gauiſi, honoris cauſa, tibi gratulentur. Quid, ſi ego in ijs non infimũ ſubſellium mihi adſcribam? Haud iniquè faciam. Mihi dixi, non meritis.

Mihi

Mihi iterum repeto, nempè voluntati, quę in tui obſequium ſtudioſiſſima propendet. Non meritis; quia iſtorum tenuitatem primario clientum loco imparem ſatis ſuperq. agnoſco. Si voluntati (quod liberalitas tua mihi videtur ſuadere) libenter acquieſcis, illud tibi perſuadeas, ſeu potius pro certo habeas, nihil felicitatis vſquam reperiri, quod tibi non maximè deſiderem. Ex Villa.

EPISTOLA XXXVII. Placentiam.

LVDOVICO CARACCIOLO Comiti.

POtuit quidem Albritius ciuis tuus inter Societatis Ieſu Concionatores facundiſſimus ingentem animo meo de te exiſtimationem ingerere: ſed tamen non plura locutus eſt, quàm mihi tecum collocuto experientia ipſa declarauit. Noui te, Comes Illuſtriſsimè, Naturæ, Fortunæ, Animi bonis affluentem. Natura nobilitatem; Fortuna opes, ac dignitates; Ani-

mus virtutes donauit. Virtutes, quas nemo non ſuſpicit; Opes, ac dignitates cuique vtiles: Nobilitatem ab omni pompa, & faſtu alienam. Inſignis igitur gratia fuit, te non breuem mecum de re litteraria ſermonem agitaſſe, in ſermonis calce Litterarum mearum Centurias, quæ publicam lucem amicorum precibus aſpexerunt, petijſſe. Iſtas libenter mitto, acerrimi iudicij tui cenſuram ſubituras: cenſuram vtilem perindè, ac honeſtam. Vtilitatem à tua doctrina: à nobilitate honeſtatem expectant. De verborum officijs mutuò præſtandis regulam miſero, vt primum ex amici manibus, qui eas arctiſſimè habet, extorſero. Fingas, te ab homine exiguo non niſi exigua viſurum. Magna ſunt à voluntate: ab ipſa re parua. Voluntas deſiderat: ingenium, & iudicium operatur. Hiſce, liberaliſsimus parcas: illi, quòd multa in tui obſequium affectat, libenter acquieſcas. Bononiæ.

EPI-

Mihi iterum repeto, nempè voluntati, quę in tui obſequium ſtudioſiſſima propendet. Non meritis; quia iſtorum tenuitatem primario clientum loco imparem ſatis ſuperq. agnoſco. Si voluntati (quod liberalitas tua mihi videtur ſuadere) libenter acquieſcis, illud tibi perſuadeas, ſeu potius pro certo habeas, nihil felicitatis vſquam reperiri, quod tibi non maximè deſiderem. Ex Villa.

EPISTOLA XXXVII. Placentiam.

LVDOVICO CARACCIOLO Comiti.

POtuit quidem Albritius ciuis tuus inter Societatis Ieſu Concionatores facundiſſimus ingentem animo meo de te exiſtimationem ingerere: ſed tamen non plura locutus eſt, quàm mihi tecum collocuto experientia ipſa declarauit. Noui te, Comes Illuſtriſsimè, Naturæ, Fortunæ, Animi bonis affluentem. Natura nobilitatem; Fortuna opes, ac dignitates; Animus

mus virtutes donauit. Virtutes, quas nemo non ſuſpicit; Opes, ac dignitates cuique vtiles: Nobilitatem ab omni pompa, & faſtu alienam. Inſignis igitur gratia fuit, te non breuem mecum de re litteraria ſermonem agitaſſe, in ſermonis calce Litterarum mearum Centurias, quæ publicam lucem amicorum precibus aſpexerunt, petijſſe. Iſtas libenter mitto, acerrimi iudicij tui cenſuram ſubituras: cenſuram vtilem perindè, ac honeſtam. Vtilitatem à tua doctrina; à nobilitate honeſtatem expectant. De verborum officijs mutuò præſtandis regulam miſero, vt primum ex amici manibus, qui eas arctiſſimè habet, extorſero. Fingas, te ab homine exiguo non niſi exigua viſurum. Magna ſunt à voluntate: ab ipſa re parua. Voluntas deſiderat: ingenium, & iudicium operatur. Hiſce, liberaliſsimus parcas: illi, quòd multa in tui obſequium affectat, libenter acquieſcas. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA XXXVIII. Bononiam.

POMPEIO BLANCHINO I. C. Bonon. Collegiato.

TE conſanguinei obitu non parùm angi audio, & doleo. Si obitum luges, communem legem, quæ priuatum luctum aſpernatur, tacitus accuſas. Cùm naſcimur, mortalitatem: immortalitatem, cum morimur, induimus. Lugeo, quòd extra patriam obijt. Si in orbe terrarum, qui omnium patria eſt, in patria quidem obijt. Lugeo, eius vitam in ipſo flore exaruiſſe. Illius felicitatem luges.

Quem Dij amant, adoleſcens moritur. Lugeo, quia Pincernę honorem apud Illuſtriſſimum Cardinalem Gozadinum adeptus, nec etiam attigit. Ergo, quod non erat, luges. At non dubiè futurum erat, vt illo honore frueretur. Niſi dubium fuiſſet, ille adhuc eſſet. Amplius non eſt, ergo dubium non fuit, quin futurum non eſſet. Sed fac ita eſſe, fac, te illum huiuſmodi munere honeſtiſſimè fungentem videre,

quæ

quæ inde voluptas, quæ delectatio, niſi breuiſſima? Si longa, & certa iucunditate perfundi deſideras, fingas illum Principis non mortalis, ſed æterni Regis, beatorumque ſpirituum comenſalem, qui nectare, & ambroſia perenni nutriuntur. Sed cur ego iſta obijciam viro prudentiſſimo, qui docere magis poteſt, quam doceri? Parce ſtylo, qui doloris ex iſto caſu acerbitatem prolaturus, conſolatoriam epiſtolam exarauit. Ex Villa.

EPISTOLA XXXIX. Foroſempronium.

IO. BAPTISTAE BARCELLINO.

SVcceſſor Illuſtriſs. Cardinalis Sabelli Bononiæ Legati, omni encomio digniſſimi non amplius in ambiguo. Qui iſtud muneris Illuſtriſſimo Cardinali Caetano deferebant, veriſſima coniectati ſunt. Illum ſanctiſs. Dominus in proximo Conſiſtorio Legatum renunciauit, & quamprimùm Roma diſceſſurus nunciatur. Quiſq. optimam ab eo adminiſtrationẽ expectat, ſuaq.

ſuaq. opinione nihil fraudandum non deſperat. Niſi falſa, quæ vulgo agitatur, ſententia, beatas eſſe Ciuitates, in quibus Principes philoſophantur, ego beatiſſimam nomino Bononiam, cui Princeps pręerit omni ſcientiarum genere ſupra mediocritatem excultus. Ætatem maturam deſideras? ea in ipſo eſt, motum caſtimoniæ, rerum experientiæ adiuncta; quæ nihil niſi optimè maturum ſuadebunt. Iſtam felicitatem eò, maiorem Bononienſis Ciuitas iudicabit, quo præſentia tempora nihil non valde miſerum, & calamitoſum promittunt. Vale. Ex Villa.

EPISTOLA XXXX. Durantem.

PETRO MIGNINO.

EGo nullam gratiam habeo amicis, qui me opulentum credunt, & apud alios prædicant. Animus meus quiduis potius, quàm pecuniæ deſiderium amplexatur. Diuitias amo, ad neceſſitatem, non ad ſatietatem. Breuis eſt vita, & natura paucis contenta. Qui aliquid ſupra deſiderat, aui-

auidus omnino eſt. Opes affectẽt, qui ęterni ſunt: nos mortales de illis nihil curemus. Poſt præſentẽ vitam, eodem cenſu æſtimabitur mendicus ille, atque opulentiſſimus. Ego tamen, vt de me blaterantibus ora occludam, diues eſſem, ſi parum multi cenſeretur. Eccleſiæ meæ cenſus, de quo multi loquũtur, tenuis; & quòd peius eſt, hinc, atque illinc, maximo labore, ac difficultate, exigendus. Permulti, ad quos anniuerſaria Canonum (quod aiunt) ſolutio pertinet, alterum annum expectant: neque tunc temporis pecuniam proferrent, niſi bonorum ſtabilium, quorum ius ad Eccleſiam ſpectat, coactam à legibus ceſſionem timerent. Soluunt igitur, non tam, vt debitum ſoluant, quàm, vt deuolutionis periculo ſoluantur. Illud ſi abeſſet, huius Eccleſiæ cenſus ſemper in debitorum crumenis lateret. Sed quoniam de iſta re ſermo inſtitutus eſt, vt alia multa ommittam, hoc vnum habe. Vir quidam, tertio anno iam exacto, licet non ſemel, ſed iterum, & tertiò admonitus, canonis tamen ſolutionem neglexit. Ego in bonorum poſſeſſionem

intro,

intro, quippe quæ in Eccleſiæ dominium tranſierint. Is per amicos me enixè orat, vt priſtino ſtatui reſtituatur. Petitioni nón repugno; dũmodo Paulinæ beneficio fruar. Reſpondet, ſe vnde integrum ſoluat, non habere: refertam filiorũ copiam, quicquid habet, abrodere. Filiorum miſeratione commotus, dimidium debiti cõdonare non recuſo. Conuenit inter nos, vt 2. HS. duorum menſium ſpatio perſoluat. Tempore ſolutionis impotentiam prætendit, viros primarios rogat, vt per me liceat ſolutionem protrahere vſque ad menſem Iulij, ea conditione propoſita, vt, niſi ſtato tempore ſatisfaciat, fundum ad Eccleſiam deuolutum Reuerendiſſimi Vicarij edicto declaretur. Conditionem accipio. Scribitur decretum; ipſi Vicario comprobatum à Tabellione in acta refertur. Non dies aberat, quo creditum exigendum ſperaui. Tunc debitor ſexcentas cauillationes in medium adducit; quod inter nos conuènit, omnino negat, Canones tantum, non 2. HS. ſe mihi debere, quoniam nulla conuentionis mentio cenſetur in decreto, conſtanter affir-

affirmat. Lis contexta adhuc pendet: quoniam feriæ agitantur. Pro me tamen ſententiam ſpero; quoniam ſi quid decreto iam ſcripto deeſt, patriciorum, qui a me præſtolationis beneficium exorarunt, teſtimonio compenſabitur. Sed interea ſpes iſta quid prodeſt, ſi quod Quinctili mihi debetur, nec etiam Octobrio menſe poſſum exigere? Hic cum Strobilo Plautino noſtrorum temporum improbitatem dolente, licet exclamare

—— noſtra atas non multum fidei gerit.
Tabula notātur, adſunt teſtes duodecim:
Tempus, locumq́, ſcribit Actuarius:
Tamen inuenitur Rhetor, qui factum neget.

Si diues eſt, qui nec parum, quod ſibi debetur, poteſt exigere, is ego ſum. Vale. Bononiæ.

E EPI-

EPISTOLA XXXXI. Bononiam.

FRANCISCO MASTRIO I. C.

RVri audio vrbana, quæ ſolitudinem meam faciunt leuiorem. In ijs heri, quod omnium gratiſſimum fuit, audiui, te Doctoratus lauream ſuſcepiſſe. Iſta dignitas, quoniam multis patet, fortaſſe videtur tantillum vileſcere. Sed vbi non quaſi dono datur, ſed debitum meritis præmium retribuitur, in maximo pretio eſt. Num tu eodem præmio fruaris, aut dono; multi quidem teſtes, ſed potiſſimum elogia, & epigrãmata de tuis laudibus in lucem edita. Qui virtutes tuas laudarunt, tibi quodam modo gratulati ſunt. Sed dum ego lætitiam animo cõceptam præſentibus litteris pario, optimas animi tui dotes, quas nemo non admiratur, recenſeo; non tam eo conſilio, vt te laudem, quàm, vt tui laudatores veritatis amantiſsimos prædicem. Vale. Ex Villa.

EPI-

EPISTOLA XXXXII. Sauonam.

ALEXANDRO FRATRI ILLVSTRISS. pro Sede Apoſtolica apud Sereniſs. Allobrogum Ducem Nuncij à Secretis.

GRatiſsimum accidit, te amicorum negotijs, præſertim quæ maxima ſunt, tantum laboris impendere, vt nihil eorum deſiderio relinquatur. Illud frequentiſſimè cognoui, nunc verò maximè, dum N. Iurisperitum amicum tuum mihi commẽdas. Sed ea in re triſtis ſum, quòd ille non ſentiet, me tecum idem pro amicis ſentire, idem optare. Si in ſcientia legali (quod aſſeris) ſummus eſt, ſummam quoque in Archigymnaſio cathedrã poſtulabit. Hanc biennio iam elapſo ab Illuſtriſsimo Senatu Doctor Luſitanus impetrauit. Sed, licet vnam ex cathedris ordinarijs non deſpiciat, non externis, ſed Bononienſibus ad eas aditus patet. Hæc ſunt, quæ de re propoſita occurrunt reſcribenda: vt ſcias, me nihil eorum, quæ per litteras iubes, ne-

gligere. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXXIII. Bononiam.

IOANNI BAPTISTAE ZANDRIO Cathedr. Eccleſiæ Foroſempron. Canonico renunciato.

ET ſi amicitia noſtra facilè tibi ſuaſiſſet, quantum lætitiæ perceperim ex Canonicatus dignitate nuper tibi delata: attamen litteris aperiendum exiſtimaui; vt deſiderio meo potius ſatisfacerem, quàm aliquid noui auribus tuis me allaturum ſperarem. Etenim, ſi noua tibi accideret de rebus tuis proſperis apud me lætitia, noua etiam eſſet mea apud te non vulgaris beneuolentia. At iſta non dicam, vetus eſt, quia ſemper eadem erit, ſemper lætiſsima florebit: ſed viciſsitudine officiorum exculta iam diu maturitatem attigit; quæ quicquid tibi euenit, commune mecum libentiſsimè facit. Hæc de me tui amantiſsimo mente cõcepta, litteris amore potius, quàm lepòre excultis habeas, & valeas. Bononię.

EPI-

EPISTOLA XXXXIV. Bononiam.

HIERONYMO BERNABAEO I.C. Turroni Bononiæ Proauditori.

QVi ſui confidentia in rebus egenis deſeruntur, amicorũ auxilia implorent, neceſſe eſt. Cum N. mihi vetus amicitia, quam non extorta, ſed voluntaria officiorum viciſſitudo confirmauit. Is cauſam habet in iſto tribunali, quam per me tibi commendatam deſiderat. Afflictorum miſeratio humana eſt: ob id ærumnoſum amicum deſerere impij hominis iudicaſſem. Hunc tantum abeſt, vt deſeram, vt potius æquè, ac me ipſum tibi commendem. Nihil requirit, niſi quod dignitas, fideſque tua mihi pollicetur. Si curaueris, vt re ipſa intelligat, preces meas aliquid apud te ponderis habuiſſe, me certè nihil ſupra deuinxeris; cùm tua merita erga me nullam acceſſionem admittant. Sed N. & eius frater tuorum clientum numero acceſſerint. Caſalechij.

EPISTOLA XXXXV. In Villam.

MARCO ANTONIO BEMTIVOLO Comiti.

IN Plauto aqua tibi hæret, vbi non pauci antea hæſitarunt. Adeſt difficultas, & ea certè non parua; quæ niſi elucidetur, auctoris ſententia non patet. Dum igitur Soſia ſeruus Amphitruonis ſic loquitur:

Viuo fit, quod nũquam mortuo quiſquam faciet mihi.

videtur alludere ad morem antiquum Romanorum, qui in cuiuſuis patricij funere propriam illi imaginem præferebant, & ſignificat: Nunc imago mea mihi viuo præfertur, quæ nunquam præferetur mortuo. Cur obſecro? quia ſerui tanto honore indigni cenſebantur. Illud verò loquitur, quoniam Mercurius, ſe verum Soſiam eſſe, ſimulabat, quaſi gemini eſſent Soſiæ. Expoſitioni allatæ fauet Lambinus, quem multi ſequuntur. Sed Ianus Douſa, Lipſi amiciſſimus, aliud ſentit, & magis cũ Plauto ſentire profitetur, quod apertè oſtendit

in

in ſuo Centurionatu Plautino paruo quidem libro, ſed Plautum intelligere cupientibus vtiliſſimo. Is antiquam eruditionem reſpicit, ſed à Superioribus lōgè diuerſam. In more poſitum erat apud Romanos, vt poſt præſtantium virorum humationem, ludos gladiatorios ante illorum ſepulcra, honoris cauſa, celebrarent. Soſia igitur dicit, ludos ſibi viuo celebrari, quos mortuo nemo celebrabit, quia ſeruiebat. Iſtam opinionem fouet Douſa, ſuffultus, hac Plautina loquendi formula, nihil diſſimili, quæ habetur in Moſtell. act. 2. ſc. 1. verſ 80.

Ludos ego hodie viuo praſenti hic ſeni
Faciā, quod credo mortuo nunquam fore.

Duplex ab vnico verſu ſententia, adeò vt, quia,

Velle ſuū cuiq; eſt, nec voto viuitur vno.

tu vtramuis tuo arbitratu poteris conſectari, dummodò mutua me beneuolentia conſecteris. Vale. Ex Villa.

EPISTOLA XXXXVI. Venetias.

HIERONYMO TAMBVRINO.

COnſilijs tuis amore non minùs, quàm prudentia refertis tantũ debeo, quantum, non dicam perſoluere, ſed perſolutionem cogitare difficillimum eſt. Vtinam illis multò prius aures prębuiſſem; quia non nũc primum amicitiæ tuæ fructus perciperem. O quam ſuaues, ò quam iucundi! Si me diutius expectaſſent, nunc nimis maturos cum meo maximo damno agnoſcerem. Equidem per te reſipiui: per te ipſe mihi me reſtitui. Cæcus eram: tu viam demonſtraſti. Surdus eram: tu vehementer adeò clamaſti, vt tandem aliquando audierim, non omnibus facillimè credendum. In poſterum clamare ne deſiſtas; non vt me in rectam deducas; ſed vt in ea, quam te duce, ſum ingreſſus, quaſi manuteneas. Surditatis damnum expertus, non amplius obſurdeſcam. Nutus à te, quaſi voces audiam. Voces, quaſi præcepta excipiam. Hæc ad amuſſim non obſeruare apud me reli-

religionis locum obtinebit. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXXVII. In Villam.

ANDREAE CARDOLO.

IOannes Baptiſta Peruzzinus à me ſibi vindicat quicquid patriæ, quicquid amicitiæ debeo; quoniam ciuis, & amicus meus eſt. Quod igitur per illum iuſſiſti, diligentiſſimè curabo. Res difficilis eſt, cùm illorum aſſenſum requirat, qui homines difficiles ſunt. Cauſam ab ouo ad malum (quod aiunt) optimè ſum edoctus. Nihil egero, nihil cogitaro, quod honorem tuum non reſpiciat. Quæ ſine rubore ad reconcilationem poſtulari poſſunt, ſcriptis committam. Pauca erunt, ſed non parua. Iſta aſſecutus, honori tuo optimè conſultum dicas. Si pars aduerſa poſtulata excludat, cauſam excluſionis afferat. Si mihi congreſſus detur cum patricio Bononienſi, quem à te Peruzzinus nominauit, rem in vado ſalutis futurā ſpero. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPIST. XXXXVIII. Foroſempronium.

ANTONIO SABATELLO I. C.

OCcupationes, quibus arctiſſimè aſſeruor, vt debitum apud amicos aſſeruem, compellunt. Dies de meis Epiſtolis in lucem editis, promiſſorum iamdiu adfuit. Adfuit etiam voluntas: ſed abfuit facultas; qua nunc tandem data, deſiderio tuo non minùs, quàm meo libens ſatisfafacio. Si moram (quod ſpero) excuſabis, non morabor, quin fatear, humanitati tuę me plurimum debere: quoniã, quod apud te plurimi erat, non amplius debeo. Quin meas Epiſtolas ſemper tibi debuero: quoniam ſi quid ſunt, à te certè sũt; qui acerrimi ingenij, ac iudicij vir, illas auidiſſimè lectas, quã maximè laudaſti. Vale. Bononię.

EPIST. XXXXXIV. Sorbolongum.

SEBASTIANO MAVRITIO I. C.

SVmptus, quem mihi ſuadere contendis, virium mearum tenuitatem longiſ-

giſſimè ſuperat: quod profectò non faceret, ſi Eccleſiæ meæ cenſus non tam difficilis eſſet exactio. Equidem experior neceſſarios eſſe harpagones, vt pecunia debitoribus auferatur. Quamobrem ex meo Eccleſiaſtico beneficio nullum, aut certè paruum beneficium accipio. Multi ſunt debitores, & ſinguli in eo vehementiſſimè decertant, vt non niſi rogati, aut potius legibus coacti, ære alieno ſe liberent. Accedit annonæ caritas, quæ hoc anno omnium maxima, ſumptus neceſſarios, & iſtos etiam ex temporum improbitate metiendos ſuadeat. Attamen illud fateor, tuam in me beneuolentiam clariorem in dies innoteſcere; quæ illud animo tuo obijciat, vt de commodo, & honore meo aſſiduè cogites. Quod dum facis, amicè facis, maximam à me gratiam inis: gratiam firmam, adeò, & conſtantem, vt nulli temporis inuidiæ, quę omnia conſumit, omnia abrodit, omninò concedat. Vale.

EPI-

EPISTOLA L. Romam.

VINCENTIO DE SANCTO PETRO Abbati.

QVicquid laboris quadragenarium in mea Parochiali Eccleſia orandi inſtitutum requirit, libentiſſimè inſumo: Igitur nihil erat, cur me ad iſtam rem per litteras incitares. Equidem credo, te iſtud ſcripſiſſe, non tam, vt me, quaſi ſtimulis admotis, illuc impelleres, quàm, vt rem ipſam, cuique ſummopere laudandam commendares. In eo enim ingenij, & iudicij tui acumen oſtendiſti; qui negotium à ſe ipſo, à loco, à tempore, à perſonis laudaſti. A ſe ipſo, quoniam vtiliſſimum. A loco, quoniam orando aptiſſimum. A tempore, quoniam ceteris acceptabilius, ceteris ſaluti aptius. A perſonis, quoniam totius Ciuitatis nobiliſſimæ. Hęc omnia ſimul conueniunt, vt ſermocinandi laborem mihi difficillimum reddant. Verùm quis credat, difficultatem magna ex parte mihi leuari, vnde alijs non parùm auge-

augetur? Primariorum virorum præſentia dicenti pauorem, mihi confidentiam afferre conſueuit. Dum huiuſmodi viros non minùs doctrina, quam nobilitate ornatos, in orationis curſu auribus, & animis mihi fauentes video, ipſe mihi faueo, linguam excito; quæ meritas Deiparę Virginis laudes lætiſſima percurrat: ſpe iam concepta, vt ab ea, quam laudibus licet exiguis (quia exiguum eſt ingenium) laudandam ſuſcepi, aptam laudationi materiam, verba rebus accommodata obtineam. Ob id polliceor, me præſenti anno conſuetum laborem ardentiſſimo animo ſuſcepturum; & eò magis, quòd Parochianis gratiſſimum fore intelligo. Parochianis inquam, quibus nihil non debeo, nihil non deſidero, cùm mea cauſa nihil non effecerint, vt alijs competitoribus excluſis, mihi vni ſuarum animarum cura demandaretur. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LI. Romam.

ANTONIO GHISILERIO.

QVi Litterarum mearum Centurijs in lucem editis delectantur, paruis certè rebus acquieſcunt. Iſti aut noti, aut incogniti. Si noti, amoris, qui cæcus, amantes etiam cæcos facit, impulſu: ſi incogniti, naturæ probitatis ductu, qui omnes conatus ab optima volũtate prodeuntes laudat, acquieſcunt. Tu inter notos, ſeu potius inter amicos cenſeris. Ideò nihil mirum, ſi me ad aliarum Centuriarum editionem quàm citiſſimam hortaris; illud obijciens, litteratorum Rempublicam deſiderio ſuo, quod longum æquè, ac honeſtum eſt, non fraudandam. Ergo Reſpublica litteraria, plures litteras meas amat, deſiderat, quas egomet nec amo, nec deſidero? Non amo tamquam partus vndequaque perfectos, vt abs te prædicari audio. Non deſidero, vt publicam lucem aſpiciant, tamquam dignas, quæ doctorum virorum manibus conterantur. Non

ade)

adeò perditè ipſum me amo, vt rerum mearum laudibus captari ſinam. At tertiam (inquis) & quartam Centuriam in medium afferas, vt alijs non tibi ſatisfacias. Iam tibi feciſti ſatis, cùm illas animo conceptas ſtylo adiutore peperiſti. Nunc in publicam Orbis ſcenam afferendo, alijs ſatisfacias. Illud ſi ſperarem, fore, vt homines editioni tantum acquieſcerent, conſilio tuo aduerſari non auderem. Diu multùmque animo verſandum, num quod editur, plurimorum animos ſit expleturum. At priores Centurias (quod aſſeris) nemo non laudat. Fac ita eſſe. Quid de Centurijs iam editis factum ſit, video: quid dedendis omninò futurum ignoro. Pauci magnas res non expetunt: maximas plurimi requirunt. Ingenium meum paruum, & tenue non ſemper plurimis valet ſatiſfacere. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LII. Romam.

FRANCISCO FELICIO I. C.

ISte negotiorum aceruus mihi non placet, quia tuæ ſaluti non prodeſt; imò quia plurimum obeſt: dum curas animum tuum aliquando tandem oppreſſuras coaceruat. At animus meus otium auerſatur. Ego neque otium laudo, neque negotium reprehendo. Illud in mentem fideliter remanet: *Otium, non negotium turpe eſt*. Sed illos prudẽtes iudico, qui per mediam viam incedentes, dum extremorum alterum fugiunt, in alterum temerè non incurrunt. Quiſque proprias vires metiatur; neque onus accipiat, quod laudabiliter nequeat ſuſtinere. Nos certè non ænei, aſſiduis laboribus, qui maximi ſunt, defatigemur, neceſſe eſt. Tutius mihi videtur parum amplecti, cui animus eſt aliquid retinere. Rectè Seneca. *Nuſquam eſt, qui vbique eſt*. Vis tibi ipſe prodeſſe, & amicorum, quibus cariſſimus viuis, genio ſatisfacere? Animum à negotijs parumper auerte. Cu-

ræ

ræ vermes ſunt, qui animum, nobis nihil ferè ſentientibus, abrodunt, longo temporis ſpatio, etiam abſumunt. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LIII. Pariſios.

THOMAE TAMBVRINO.

ÆTas, quæ immatura eſt, ſi prudentiæ indicia emittit, ingentem laudis materiam comparat. Non diſſimilem occaſionem tibi obijcit parentis tui obitus, quem à communi cum omnibus ſorte ęquo animo decet ſuſtinere. Vt, dum longiſſimè abes, facillimè poſſis, illud de patre tuo ne ignores. Sanctiſſimis Euchariſtiæ, & Vnctionis extremæ Sacramentis munitus, nihil à Deo, niſi diuinam gratiam poſtulauit. Voti ſui compos factus eſt; qui poſt decimamquintam diem, qua in febrim incidit, è vita pijſſimè, ac religioſiſſimè migrauit, non dubia ſpe de ſalute ſua nobis relicta. Hæc ſcribo, non vt tibi dolenti ſolatium afferam, verùm, vt operæ meæ, quæ patri

tuo, dum viueret, vbique locorum parata fuit, legitimũ hæredem conſtituam. Numquam enim (ſcio) doloris cauſam duxeris mortem illius, qui diem ſuum obijt, vt in Cœlis ęternum viuendi munus obiret. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LIV. Foroſempronium.

IO. PETRO GENTILOMINEO Foroſempronienſis Epiſcopatus Vicario Generali.

AMicitias litterarum officio inter abſentes non excultas, profundis lethæi fluuij aquis merſas accepimus. Noſtra ne illuc approperet, en ad ſcribẽdi munus appropero. Neque inuitus facio, patriæ meæ Vicariatus honorẽ tibi delatum, gratulaturus. Iſtud officium, quod meritis erga me tuis ex animo, perſoluo, ſerum, quæſo, ne accuſes: quem ſera ad nos de tuo iſtuc acceſſu fama, nulla profectò negligentia retardauit. Dum ego Mercatelli per quadriennium degi, quæ veram amicitiam

decuit,

decuit, de te libertatem vſurpaui. Tu in patria mea commoraturus, ſi nihil ſecus agas, cauſam præbueris, cur me, tuo iuſſu, iam vſurpatæ libertatis nihil pœniteat. Bononiæ.

EPISTOLA LV. Mutinam.

BARTHOLOMAEO SPACIOLO I. C.

ILluc ſors mea deuenit, vt aliquid honoris accipiens, non vni, duobus obſtringar. Tu non exiguo me honore cumulaturus, Epiſtolarum mearum Centurias petijſti. Annibal communis amicus, vt tecum in mei honore decertaret, nihil omninò cunctatus miſit. Vtrique igitur debeo. Tibi, qui honoris mei cauſa petijſti: illi, qui, vt iterum peteres, recuſauit. Quod debeam nihil doleo: quoniam nihil ammitto. Debeo, cùm magis licuerit, ſoluturus. Quod dediſti, iam accepi, & fruor. Verùm quid dedimus? Honorem, quo nihil melius, nihil præſtantius, dediſtis. Iſte ab vtriuſque veſtrum iudicio pendet, in

primis à tuo, qui cicutientes ingenij mei partus, acuta oculorum tuorum acie dignos iudicaſti. Iſtud iure merito plurimi facio: & ideo plurimum tibidebere non recuſo. Bononiæ.

EPISTOLA LVI.

AMICO CVIDAM.

EGo à conſilio tuo nihil certè laudabilitè conor abducere: tu illud audaciſſimè obijcis.

Ipſus ſe excruciat, qui, quod amat videt,
Nec potitur, dum licet.

Quid igitur me conſulis, ſi genio tuo, qui in iſtum amorem facillimè propendet, non obſequi, religionem exiſtimas? Huiuſmodi deſideria hoc habent, vt, quouſque impleas, delectent: impleta in odium vertantur. Vis odium fugere, & delectationem acerbam non ſentire? Amoris ſarcinam, dum licet, pone. Amor enim mala merx tergo. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LVII. Piſaurum.

IO. BAPTISTAE RINALDVCIO.

NIſi peſſimis delatorum linguis fidem ſubtrahas, te animi tranquillitate orbaueris, amicorum fidem in ſedulam dubitationem adduxeris. Cùm iſti te adeunt, vt de aliorum fama inuidiæ venenum in aures tuas euomant, aliquid detrahant, audacter reſpondeas, fidei tuæ aſſenſum potiùs à certo rerum experimento, quàm à fallaci verborum teſtimonio pendere. Iſti enim cùm te credendo non adeò facilem viderint, ipſi de aliorum erga te voluntate perperam loquendo, ſe non adeò faciles exhibebunt. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LVIII. Foroſempronium.

MICHAELI ANGELO MEGANINO humaniorum litterarum apud Eugubinos profeſſori publico.

ITineris difficultas, quam ſexto poſt die (vt ſcribis) ſuperaſti, patriæ fruitioni

ſuauiſſimum fuerit condimentum. Bonum enim, quod laborem conſequitur, longè iucundius apparet. Iſto à tuis litteris nuntio, nihil minùs lætatus ſum, quàm rȩs omnes tibi ſuccedere deſidero. Pro drachmis, ſalutationibuſque, meis domeſticis, ac paſſionȩo redditis gratias ago, & habeo, ſi vnquam occaſio ferat, relaturus. Fauſtum ineuntis anni cum ſexcentis ſimul, auſpicium à te, nec non ab illis per te acceptum largius remitto. Eugubinorum de publicis litteris moram tibi non ingratam arbitror, niſi patriam ſedem, poſt multorum annorum abſentiam, prȩter humanum inſtitutum, ingratam velim arbitrari. Plautinum illud potius fide amplector.

Nec quiſquam eſt tam ingenio duro, nec tam firmo pectore,
Quin, vbi quicquam occaſionis ſit, ſibi faciat benè.

Tu genio tuo benèfaciendi facultatem habes: illam inhumaniter reijcias? Epiſtolas meas nuper in lucem editas, quàmprimum certi hominis iſtuc venientis occaſio detur, ad te mittam. Vtinam opinioni quã de

de auctore concepiſti, reſpondeant. Sed vereor, ne meæ, quæ erga te ſumma eſt, beneuolentiæ reſpondens, nimis altè de mea eruditione ſentias. Illud quidem ſenti, nihil tam altum, nihil tam ſublime eſſe, quò probitatis tuæ, ſcientiæ non vulgari adiunctæ altitudo non attingat. Vale. Bonon.

EPISTOLA LIX. Panſanum.

INNOCENTIO MALVASIAE.

Liberalitatem tuam iampridem audieram: nunc re ipſa experior, cùm Parochialis Eccleſiæ meę ornamento animum appuliſti: eoque magis experior, quòd ſæpius per litteras quęris, quo loci deductum ſit opus per Inauratorē incœptum. Is nulla neglīgētia videtur accuſandus, qui vſque adhuc ne vnius profectò diei laborem intermiſit. Quamprimùm paries inauratus, qui hac de cauſa vdus eſt, exaruerit, adeò, vt aurum è ligneo ornamento illuc appoſito ne decidat, operi ſuprēmam manum addet. Quod vſque adhuc confecit, ſatis mi-

hi, nec non ceteris facit. Aliquam pecuniæ copiam accepit, quod reliquum eſt, poſt operis confectionem accepturus. Tu interim, me huic negotio, quod meum eſt, quoniam ad Eccleſiam meam ſpéctat, inuigilaturum credas; iſtamque liberalitatem, quæ iuuenem nobiliſſimum decet, ne deſeras. Quicquid enim rebus ſacris inſumitur, quæſtus eſt. Bononiæ.

EPISTOLA LX. Piſaurum.

ANGELO MARIAE BARIGNANIO.

APage, apage, qui adeò perditè rus diligunt. Ego vrbem ſemper amabo, vrbis incolas ſemper laudabo. Vnde ruſticantibus voluptas, vnde iucunditas niſi à ſolitudinæ? Iſtam qui amat, humanitatem exuat, neceſſe eſt. Qui ſe hominem profitetur, æqualium conſuetudinem requirat: cum illis moretur: indigens ab illis opem accipiat: hanc ipſam egentibus ferat. Ecquid fuit, cur Deus omnium conditor ſapientiſſimus Euam crearet, Adamo

ſociam

ſociam adiungeret, ſi ſocietati præſtaret ſolitudo? Sapiens ſolitudinem non laudauit; potius reprehendit, cum inquit. *Veh ſoli; quoniam cum ceciderit, non habebit ſubleuantem ſe.* Ob id iam dies ruſticatus, in vrbem cogito. Iſtam non niſi inuitus reliquero. Malo curarum plenus vrbem incolere, quàm ruri curarum expers commorari. Curam omnium maximam iudico (nec certe iudicium fallit) eſſe, vnde genius cupit, longè abeſſe. Ex Villa.

EPISTOLA LXI. Sauonam.

ALEXANDRO FRATRI ILLVSTRISS. pro Sede Apoſt. apud Sereniſſ. Allobrogum Ducem Nuncij à Secretis.

TV frequentiorē à me ſcriptionis operam deſideras; ſed tā largus ſtyli vſus aſſiduis occupationibus præpeditur. Vt iſtę ceſſabunt, exacta muneris executio conſequetur, quæ deſiderium tuum expleat, & fraternæ beneuolentiæ officio ſatisfaciat. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXII. Ferrariam.

THOMAE PRIGNANO
Clerico Regulari.

Liber, quem petis, te liberalem mei fautorem declarat. Noſti, nihil altius deſiderio meo inhærere, quàm operæ meæ à te vſum. Libens igitur mitto, vt & tibi mãdanti, & mihi mandata exequi cupienti, morem geram. Mitto (inquam) ſed ea lege, vt quamdiu tibi libuerit, legas; in eo voluntatem meam, vbique rerum, vbique locorum tibi paratam agnoſcas. Voluntatem exhibeo, meritorum tuorum celſitudinem contemplatus. Ea enim eſt, quam amici hominis voluntas, non vires poſſint adęquare. Idcircò voluntati acquieſcas, quæ ſi æquales à Deo vnquam vires aſſequatur, iſtas in tui ſeruitio æquis paſſibus conſequetur. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LXIII. Bononiam.

CAMILLO PALAEOTO.

NObilitas tua cum optimis moribus coniuncta vxorem optimam, & nobiliſſimam expetebat. Hanc non temerè à Iano accepiſti: vt ſcilicet cum ea perpetua fruens concordia, ſobolem gignas tuum, & vniuerſæ familiæ monumentum. Non exigua certè felicitas eſt, nuptias, vnde Larium firmitas pendet, ex ſuo, maiorumque ſuorum genio contrahere; quibus improbi inuideant, optimi ſummoperè lætentur. Iſtud, quicquid eſt felicitatis, tibi gratulor; ne ab alijs videar me abducere, qui huiuſmodi officium tuis meritis debitum, vel coram, vel litteris præſtare, inter ſe ſtudioſiſſimè decertant. Id ipſum à me præſens Epiſtola præſtiterit, iuſſa, vt illud ſupra adiungat, iſta non eo conſilio à me ſcribi, vt cum tuorum clientum ordine decertem; verùm, vt à me ſingulos certatores tuì cultu, & obſequio longiſſimè anteuerti declarem. Ex Villa.

EPI-

EPISTOLA LXIV. Bononiam.

CYRO MARISCOTTO.

QVi me negotio conficiendo tibi adiunxit, operam meam nimis ſupra debitum (quia nimis ſupra meritum) æſtimauit. Onus impoſitum certè reſpuiſſem, non vt labori ferēdo me eximerem; verùm, vt rubor, quòd Bononienſis patritij prudentiæ, prudentia mea æqualis cenſeretur, à me longiſſimè abeſſet. Sed ſtatim adfuit humanitas tua, quæ illud ſuaſit, à te neminem excludi, qui tecum alienam vtilitatem, & commodum curet. Ego iſta ſpe incitatus N. operam meam promiſi, quæ tantum illi eſſet præſtitura, quantum ipſius cauſæ æquitas in acerrimi iudicij tui trutinam poſuiſſet. Quandocunque iuſſeris in vrbem rediero, & in ipſius negotij agitatione pro honore à te mihi delato (quod nunc per litteras facio) coram gratias egero. Ex Villa.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA LXV. In Villam.

LAVRENTIO VITALIO.

DVm iſtis de rebus me interrogas, te pulchrioribus litteris addictum credam. Litteris, dico, quæ iſtam florentem ætatem non parùm valeāt decorare. Quod facit ad *bidental*, vocem profectò difficillimam, breuiter ſcribo, propriè ſignificari locum à fulmine percuſſum. Sic vocatur ab ouibus bimis, vel bidentibus, quorum nece expiabantur. In more enim poſitum lego apud antiquos, vt Aruſpices, vel augures acciti ex Hetruria, ſeu (quod alijs placet) Pontifices ſtatis temporibus fulminum reliquias curarent, cum ſacrificijs conditas ſepelirent. Bidental dicitur etiam homo fulmine abſumptus, vt eſt illud apud Perſium Satyra 2. verſ. 27.

Triſte iacet lucis, euitandumq́. bidental.

Num ſat lucis tibi ad bidental caliganti attulerim, me certiorem facias, & valeas. Bononiæ.

EPI-

EPSITOLA LXVI. Foroſempronium.

ASCANIO SANTVCIO.

QVàm dulce parentis vocabulũ, quàm delectabile, me quidem interroga, qui patris diuino beneficio adhuc ſuperſtitis beneuolentia iucundiſſimè fruor. Verùm ſi aliquoties eodem me tandem aliquando orbandum, ni ipſe me filio prius orbetur, excogito, tantum illinc mœroris traho, vt exanimatum ferè me sẽtiam. Si amicorum omnia (vt poſtulat amicitia) communia, tuum ex parente iam mortuo dolorem (hunc enim non mediocrem exiſtimo) mihi communem iudica; quoniam quicquid lætum tibi contigit, mihi pariter contigiſſe iudicaſti. Amicus non eſt, qui fortunam ſequitur, non hominem. Sed vtinam ego ſolus tuo dolore mœrerem, quia neceſſarium aliunde ſolatium haurirem. Vniuerſam, heù, patriam in luctu, & ſquallore iacentem video, quia pater tuus, qui neminem conſilio, & opera non erexit, humatus iacet; adeò, vt qui ante hac

alies

alios prudentia, & doctrina ſolatio afficere conſueuerunt, nunc ipſi conſolationis officio non parùm indigeant. Quid igitur? Animus huiuſmodi calamitate deiectus perpetuo lugeat? Non ita. Ea cogitatio lacrymas exſiccabit, Antonium Santucium patrem tuum inter homines adeò laudabiliter vixiſſe, vt nobis ereptus, Cœlo, vbi inter Sanctos, æternum viuat, ſit reſtitutus. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXVII. Patauium.

IO. ALBERTO QVARTO Philoſopho.

QVid cenſeas de eo, qui præclariſſimi viri elogium aggreſſus, proprias illic laudes furtim inſerat? Hunc (dicis) alijs fraudulentum, ſordidum ſuimet laudatorem dixero. Vera quidem dixeris. Id ipſum in te licet retorquere, & tamen nulli fraudulentum, tui laudatorem ſordidum non licet appellare. Video, te Illuſtriſs. Valerij elogium pro feliciſſimo

Vene-

Venetias reditu aggreſſum: ſed illud doctè adeò, adeò purè, & eleganter ſcriptum, vt in eo non minus tuæ, quàm Valerij laudes appareant. Et tamen virum certè nobiliſſimum, ſummiſque virtutibus ornatum, & ideo dupplici de cauſa laudandum, debitis encomijs non defraudas; quia ipſum apertè, & non parcè laudas: neque ſordidus tui laudator nominandus; quia non tu ipſe te, ſed elogij doctrina, & elegantia te laudat. Quinimò ſi res ad veritatis calculum deducatur, illud verè inſpicio, & video, Illuſtriſſimi Valerij laudes, eo pluris valere, quòd à ſcriptore inter omnes ſui ordinis doctrina, & prudentia laudatiſſimo promantur. Sed ecquis ignotus (inquis) me laudat? qui amicitiam tuam laudatiſſimè exoptat. Patere, vt ego tibi ignotus, te mihi apprimè notum laudem: dum non minùs ex merito tuo, quàm ex ſententia mea te laudo. Quæ apud te merita, & ipſum elogium, & Fidelius ad amuſſim expreſſerunt. Vtrumque igitur amicitiæ inter nos conciliatorem adhibeo. Tu ſpero, non renues: quicquid enim meritis meis, quæ infi-

infima haud nego, defuerit, non exigua apud te conciliatorum auctoritas compenſabit. Parce homini gratiæ tuæ auidiſſimo. Tuas.n.animi dotes, quas ipſe Fidelius animo meo fideliſſimè ingeſſit, nō poſſum non amare (parùm dixi) non multùm obſeruare. Tu, ſi libet, me ama; & virtutes tuas ex ingenij mei potius demiſſione, quàm meritorum tuorum ſublimitate à me laudari nihil obſerua. Bononiæ.

EPISTOLA LXVIII. Salettum.

MARIO SCAPPIO
Equiti S. Stephani.

TE rigidiſſimo Vrbis calori ſubtraxiſti, vt me iſtius Villę delitiarum muneris miſſione calefaceres. Hoc gratū fuit, & iucundū, niſi quòd litteras (cuius culpa ignoro) poſtridie eius diei accepi. Ne munus liberalitatis tuæ propriū magis, quàm meritis meis, quæ parua ſunt, congruum, ex vulgi more, accipiam, gratias non ago; &, ne ingratus appaream, maximas habeo.

G Si,

Si, dum tibi ruſticari libet, ad me litteras dederis, nihil vnquam deſiderio meo aptius dabis. Video te latinè ſcribendo aptiſſimum. Reſtat exercitatio, vnde ſtyli expolitio. Iſtam ſi amplectaris, quicquid ad rectè ſcribendum pertinet, conſequèris. Bononiæ.

EPISTOLA LXIX. In Villam.

LVDOVICO BONFIOLO

S. D. N. vtriuſque Signaturæ Referendario, Eccleſ. Metropol. Bonon. Canonico, & Viſitatori Gener.

CVm mihi Tacitum interpretanti locus ille occurriſſet: *Fato, potentię rarò ſempiterna*; vbi Auctor in medium affert rationes, quibus Aulici Principum gratiam non perpetuò fruantur, iſtam fumum appellaui, nec certè immeritò: quia tamquam fumus euaneſcit. Quin ipſi Aulici fumus nominandi: qui cum magis fuerint exaltati, inuidię ventis grauiſſimè flantibus

tibus appetuntur, exagitantur: & ideò facillimè deficiunt. Exemplum non longè petendum: domi habemus. N. apud Principem gratioſiſſimus fuit. Quiſque illius, fortunam ex ipſa ſorte, non ex meritis reſpiciens, mirabatur; multi etiam conditionem ſuam indignantes, inuidebant. Nunc potius miſerentur, dum recogitant, iſtum fortunæ impetu elatũ, fortunæ impetu depreſſum multo plura, quàm ab elatione accepit, in ipſo caſu amiſiſſe. Elatio fumum elargita eſt: caſus cum fumo, quicquid non fumus erat, nempè honorem, abſtulit. Ecquis illum reſtituet? Hominum fortaſſe opinio? Iſta certè, ſi honor ex hominum opinione foret metiendus. Sed fac, ita eſſe. Si quis ex infimo loco apud Principem euehitur, fortnnæ beneficio: ſi idem è ſummo deprimitur, depreſſio meritis adſcribitur. Sic fit, vt fortuna, ex iſtorum ſententia, maleficij neſcia, beneficia tantùm ſciat conferre. Principum gratia ab ipſa ſorte, odium à nobis ſit. Si Principum gratia fumus eſt, eamque fumum appellauit Alexander Seuerus, N. in gratiæ Principis

amiſſione, nihil aliud, niſi fumum amiſit. Sed in amiſſione quçſtum inuenit: qui oculorum offenſionem, oris nigredinem (hæc enim fumus parit) euitauit. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXX. Durantem.

FRANCISCO MARIAE
Leonardo I. C.

IAm adſunt Auguſti Calendæ: tu verò à nobis longiſſimè abes, Leonarde. Hàc patriam verſus iter faciens, me ſalutaturus adijſti: ego, vt hic vnum diem conſumeres, non exoraui. Me vix vnius horæ ſpatio allocutum reliquiſti cum ſpe, imò pollicitatione, huc te Auguſti initio rediturum. Citam abitionem facilis ſuſtinui; quoniam negotia, quæ te Durantem reuocarunt, itineris celeritatem poſtulabant. Pollicitationem tuam, męamque ſimul cupiditatem conſidera. Vt iſtam quàmprimum conſequar, tu illam quàmprimum exequere. Non mihi ſoli, ſed etiam amicis,

cis, qui tertio quoque verbo te appellant, expectatus adueneris. Quot pręſentis Epiſtolæ ſunt verba, totidem, obſecro, ſint incitamenta, quæ te patrijs fortaſſe oblectationibus ſopitum excitent, ad nos deducāt. Hæc ſcribo, vt mihi, & etiam Mignino, ac Donzello cōmunibus amicis ſatisfaciā. Tu eiſdem ſatisfacturus pennas pedibus adnecte, & aduola. Sin minus crebræ à nobis litteræ, quæ cerebrum tibi obtundant, aduolabunt. Bononiæ.

EPISTOLA LXXI. Romani.

FRANCISCO MARIAE GHISILERIO Bertinorenſium Gubernatori renunciato.

QVi te, nobiliſſime Ghiſileri, optimè nouit, ætatem tuam vel annis immaturam, rebus tamen adminiſtrandis maturam cognoſcit. Id ipſum ſenſit Gregorius XV. Pont. Max. qui te Bertinorenſibus Gubernatorem præfecit; illud ſapientiſſimè ratus, otioſè non habendam

virtutem illius, qui ſi rerum experientia, honorum cultu, exerceatur, ceteros iuuenes ad optimas artes vehementiſſimè inflāmet. Lætor; tui opinionem illuc breui deueniſſe, vt, qui rerum omnium apud nos curam gerit, tua merita cunctis, quaſi exemplum, proponat imitanda. Iſtam profectò imitabitur, qui ſe, ac familiam ſuam in dies magis, magiſque honoribus auctam deſiderat. Illud in te retorqueri non poteſt.

Debile principium melior fortuna ſequetur.

Principium certè magnum, & quod de te in poſterum maxima pollicetur. De me illud ingenuè affirmo, tantum lætitiæ de iſta re nuncium attuliſſe, vt ſtylus contineri non potuerit, quò minùs ad te gratulatorias litteras exararet. Scribo, vt animum meum non alio, quàm rerum tuarum proſperè fluentium expleam cibo. Bonon.

EPI-

EPISTOLA LXXII.

ANASTASIO A S. IO. BAPTISTA Ordinis Diſcalceatorum Bonon. Priori.

SI quis apud mortales aliquod opportuno amico opportunius cognouit, in medium, obſecro, adducat. Ego, vt ingenuè fatear, nihil cognoui. A Reuerendi admodum P. Timothei amicitiã mihi vſus nõ vnus, non vna iucunditas. Omnia tamen reticeo: nè ex multis, quæ in eius liberalitatem reijcio, aliqua meritis meis tacitus videar aſſignare. Hoc vnum lucis auidum aperio, viam mihi ad amicitiam tuam ab eo patefactã. Quocirca nõ parum me illi profiteor debere, quoniam ſuauiſſimos iſtinc fructus me decerpturum non deſpero. Fructus, dico, qui animum ieiunum optato iamdiu expleant cibo: cibo nullius faſtidij compote: cuius frequentia, ſui deſiderium pariat non moleſtum. Sed quia ratione meritorum meorum exilitas iſtorum fructuum celſitudinem attingat? Tu fra-

ternæ caritatis ramos extende: quem tibi amicum appellas, aſſidua beneuolentia complectere, & vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXIII. Camertum.

MARIANO CORADINO.

QVoniam à me verba poſtulaſti, nihil, aut certè parum poſtulare tibi viſus es. Ideo iterum ſcribis, vt poſtules, quaſi à me negligentiæ pœnam exacturus. De re ſumma, ad ſummum Principem verba ſcriptis mandata à me rebus ipſis æquiparari deſideras? Ita certè. Igitur non opus fuit celeritate, ſed maturo conſilio, quod Epiſtolam diſſuaſoriam obijceret. Quæ mens ad gratiæ impetrationem concepit, in præſenti folio parta, mea in te beneuolentia obſtetrice, accipies. Nùm ex tua, & aliorum, ad quos negotium ſpectat, ſententia, fac, vt ex prioribus litteris accipiam. Lætor amicorum negotijs operam inſumere: ſed magis lætor iſtam haud ſumptam intelligere. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LXXIV. Bononiam.

SYLVIO COSTAE.

VT Fuluij Ioachini viri optimi, meique amiciſſimi capitalem morbum audiui, prudentiſſimum illud animo ſubijt:

Fortuna vitrea eſt, cum maximè lucet, tunc frangitur.

Ioachinus Romam petijt ab Illuſtriſsimo Cardinale Ludouiſio accitus: illic ſpem de ſe, rebuſque ſuis maximam apud omnes concitauit. Nouiſſimè cùm apud ipſum Cardinalem auditoriũ munus ſubire credit, illud obeundi viam febris mortifera intercludit. Qui ad Romanam Curiam, quaſi ad fontem ſitibundi anhelant, alieno periculo diſcant, ſpem illud habere, vt in ipſa maturitate radicitus marceſcat. Si quis ægrótus, illuc (quod nemo non ſperat) deuenerit, vt mortis beneficio amplius ægrotare non poſſit, illius æterno diſceſſu nihil doleamus. Morum innocentia, quam apud nos Ioachinus ſẽper, quaſi Polypus tenuit, explorate pollicetur, illum ab iſto mor-

morbo eò loci euaſiſſe, vbi nihil ſperãdum: quoniam bona omnia, quæ animum explent, ab omnibus perpetuò poſſidentur. Vale. Ex Villa.

EPISTOLA LXXV. Bononiam.

PAVLO MACCIO
Humaniorum litterarum profeſſori.

QVàm pauci veri ſint amici, ex te viro omnium amiciſſimo cognoui. Hinc non obſcura, non vulgaria, non interrupta ingenui erga me amoris indicia manarunt: vnde me non merito quidem meo, ſed tua potius humanitate alterum Paulum apud te eſſe facillimè credam: imò pro certo habeam. Si me amas, cur dictis meis fidem non adhibeas? Amor nihil non credit: quoniam nihil non ſperat. Mihi igitur credas, illud, ſi abſque fuco, & fallacijs profero, omnes acerrimi ingenij tui partus Reipublicæ litterarum gratiſſimos fore; in primis verò Emblematum volumen, quod in ſcrinijs arctiſsimè habes.

Illud

Illud in lucem ſi miſeris, nihil aliud tibi vitio adſcribetur, niſi quòd amicorum de iſto libro deſiderium nimis in longum produxeris. Sed crimen illius generis non eſt, cui venia imparata. Quo diutius illud cõpreſsiſti, nunc libentiùs in medium proferas: vt prius non protuliſſe, modeſtiæ fructum, tandem aliquando prolatum, tuæ potius liberalitatis beneficium, quàm beneuolentium extorſio cenſeatur. Ex Vila.

EPISTOLA LXXVI. Foroſempronium.

HIERONYMO PASCVCIO.

POſt frumenti, aliarumque ſegetum meſſem tenuiſsimam, adeò, vt ager Bononienſis multis in locis, nec ſementem acceptam ingratiſsimus reddiderit, vini annona credebatur fore viliſsima. Vineæ maria, & montes (quod vulgo ferri ſolet) pollicebantur. Montes vuarum, maria muſtea: vnde qui comedere non poſſent, ſaltem biberent. Sed, vt vindemiæ adfuerunt, abfuit magna pars vuę, quam vernali tem-

pore aſsiduis imbribus madefactam in viticulos, aiunt, degeneraſſe. Accedit ingens aquarum penuria, cùm tres menſes ipſos nihil pluerit. Quocirca ruſtici ægerrimè ſementem faciunt in ſolo aridiſsimo, in glebis adeò duris, vt nè maximo quidem labore confringantur. Illud etiam in cauſa eſt, cur, quamuis multæ familiæ frumento non careant, cùm tamen illud moli non poſsit, pane ad multos dies careant. Itaque hoc anno Ceres, Bacchus, & Iuno hominibus irati ſunt. At non iſti, ſed ille, qui dat eſcam omnibus animantibus, noſtris ſceleribus offenſus, conſuetam liberalitatem retardauit: vt fortaſſe videat, num timor poſſit, quod amor non potuit, nos ab ante acta vita diuinæ legi non ſatis accommodata remouere. Hæc de Bononienſi agro (quod quæris) raptim habeas, & valeas. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LXXVII. In Villam.

IO. BAPTISTAE MALISARDO In Bonon. Archigymnaſio Philoſophiæ Profeſſori Extraordinario.

MEam de auguſtiſſimo Corporis Chriſti ſacramento orationem deſideras, ea, credo, ſpe fretus, te lectionem iudicio tuo dignam ſubiturum. Res quidem maxima eſt ab argumento, non à ſcriptore. Imbecillitatem meam optimè noſti. Ob id omnis excuſatio ſuperuacanea. Sed ecquid cauſæ, obſecro, cur rei tractandæ materia ſublimis, ſublimem ſcriptorem deſideret? Quæ ſui tenuitate deferuntur, ſcribentis auctoritate fulciantur. Sacratiſſimi altaris myſterij inſtitutio per ſe maxima, nullo à Rhetoribus eget fulcimento. De illius magnitudine, ſi naturã interroges, iſta omnino elinguis, totius panis in corpus, totius vini in ſanguinem Chriſti, conuerſionem admiratur. Ex ſilentio reſponſum haurias, iſtud myſterium in fidem potius, quàm in cognitionem cadere; quia rerum ordi-

ordinem antecellit. Igitur quæ verborum congeries licet aptiſsimè digeſta illius referret magnitudinem? Nulla apud me culpa, ſi ſtylus non peruenit, quò intelligentiæ acumen nôn attingit. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXVIII. In Villam.

MICHAELI ANGELO FRATRI.

GAudeo, te in iſta ſolitudine tempus adeò laudabiliter conſumere, vt illinc vtilitatem haurias, tui amantibus iucunditatem, & eam certè non vulgarem afferas. In litterarum ſtudio, quod cæpiſti, in dies alacrius curre: vt curras, de Gladiatorum origine, & cauſa, quod ſcire appetis, hæc habeas. Nicolaus, & Damaſcenus docent, ab Hetruſcis cœpiſſe Gladiatores, & ex funere accitos, Hetruſcos verò à Græcis petijſſe. Hermippus apud Athenæum lib.4. cap.17. inuentores gladiatoriæ pugnæ facit Mantinenſes. Cauſam, & originem à funere habemus apud Tertullianum de ſpectaculis cap.12. *Olim quoniam ani-*

mas

mas defunctorum humano ſanguine propitiari creditum erat, captiuos, vel malo ingenio ſeruos mercati, in exequijs immolalabant. Poſtea placuit, impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos parauerant, armis, quibus tunc & qualiter poterant, eruditos, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant. Tertulliano aſſentit Seruius ad illud Maronis.

Viuentes rapit inferias, quas immolet vmbris.

Vbi aliquid vmbrarum eſſe nō temerè opinatus, vt lucem afferet; ſic ait. *Moris erat in ſepulcris virorum fortium captiuos necari, quod poſtquam crudele viſum eſt, placuit, gladiatores ante ſepulcra dimicare, qui à buſti cineribus Buſtuarij dicti.* Hæc de Gladiatorum origine, & cauſa menti occurrunt. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LXXIX. In Villam.

IACOBO GIRALDINO.

ARchipreſbyteri familiaris noſtri morbus, de quo per litteras quæris, ſingulis diebus, ſingulis horis ingraueſcit. Alget foris, intus ardet: ideò auidiſsimè ſitit. Monſtri exemplum eſt, ſudat, ac tremit: & tamen, ſi eum interroges, quomodo habeat, reſponſum accipis, bene habeo. Quàm rectiùs diceret, benè abeo: quia in communem locum abit; neque omninò sẽtit. A ſpiritualibus medicamentis iam paratus eſt. Corporalia non defuerunt, neque deſunt. Deeſt quidem virtus à natura, quę mortis grauedine labefactata, citiſsimè corruet. Illud ſi fiat, corruet nobis amicitiæ fulcimentum, quod perpetui doloris, perpetui luctus materiam exhibebit. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LXXX. Romam.

PROSPERO CHARTARIO I. C.

TVì deſiderium temporis diuturnitate illuc acerbitatis deuenit, vt vires meę longiùs nequeant ſuſtinere, niſi litterarum miſſitatione leniatur. Igitur ſemonem tuum expecto, qui crebræ ſcriptionis promiſſione, ægritudinis leuamen adducat; indeque aures tuas aſſiduo à me litterarum ſtrepitu, qui deſiderij mei expletionem conatur extorquere, obtundendi periculo eximat. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXI. Foroſempronium.

FERDINANDO CHARTARIO I. C.

MIhi proximam deceſſionem tuam à nobis cum altera anni ſuperioris conferenti, quædam adeò pariter, æqualiterque videntur coire, vt illius exitum nehilo certè minùs felicem præmonſtrent. Enim verò eodem menſe, die, hora abijſti.

Dicerem cum ijs comitibus, ni abeſſet Reuerendus Petrus Placentinus. Vtinam barbam promittam, ariolus fiam: nihil enim antiquius habeo, quàm, vt quæ animo precor, tibi obiter contingant. Tibi, inquam, omnium amiciſſimo; cui non omnia velle, ſummum malum velle profectò eſt. Cur autem non diſpar iter, diſparem finem ſortiatur? Certè ſi diuinam prouidentiam, quæ bona bonis rependat eſſe, à Chriſtiana religione nihil aberrantes, fateamur, hunc multò feliciorem ſperabimus; quoniam cum ętate morum caſtimoniam adoleuiſſe, non ſecus atque cum virtutibus virtutum merita in dies magis, magiſque in te aucta conſpeximus, vt ſuperiori anno Auditor, præſenti verò Doctor hanc ſedem reliqueris. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXII. In Villam.

IACOBO GIRALDINO.

NVm vera locutus fuerim, cum illud affirmaui, Archipresbyterum familiarem

liarem noſtrum veriùs dicturum fuiſſe bene abeo, cum in ægrotatione interrogatus, quomodo ſe haberet, reſponſum ferebat, benè habeo ex rei exitu perſpicias. Is nocte iam tranſacta à nobis abijt, nõ amplius rediturus. Felicem animum, qui corpus reliquit hora ſexta, ætate ferè quadragenaria! Illud non temerarium, imò optimè conſultum de tempore, de hora. Certè in illis ſeruis fuerit, quos Euangeliſta beatos appellat: quoniam in ſecunda vigilia vocatos non ſegnes, non ſomniculoſos Dominus inuènit. Ego ſecundam vigiliam propriè nomino horam ſextam, parabolicè verò iuuentutem, in qua ille vitam cum morte commutauit. Raptus eſt? Ne doleamus: quoniam deuènit, quò mortales omnes rectè ſentientes aſpirant, quò nos omnes ſuis frequentiſſimis precibus rapiet. Vtinam, ſicut de illius obitu vera locutus sũ, ſic iſta vera prædicem: quos fatum in hoc ſæculo diſiunxit, eoſdem in æterna vita nunquam ſeparandos diuina miſeratio coniungat. Vale. Bononiæ.

Digitized by Google

EPISTOLA LXXXIII. In Villam.

FRANCISCO PASELLO.

LItteras Sereniſſimi Vrbinatium Principis ad Sereniſſimum Ducem Mutinenſium pro amico reſcriptitias abs te accepi. Comes imprudens errauit, qui litteras in Principis manus per amicum peruenturas ipſi Principi reddidit. Sed illius error negotio non parùm profuerit. Ex reſcriptione ſatis apertè conſtat, Sereniſſimum Ducem, N. de miliori nota cõmendaſſe, vt non dubiè liceat ſperare, illum voti ſui compotem futurum. Vtcumque ſit, me opinione mea nihil deceptum ſentio, te apud illum Principem adeò gratioſum eſſe, vt nihil, aut tibi, aut amicis ab eo non impetres. Pro beneficio in amicum gratias ago, quamdiù vita fruar, memoriæ conditum ſeruaturus. Primus debiti locus beneficium atcipientem, alter impetrantem expetit. In eo autem, quod tu attuliſti, vterque me expetit. Cum enim N. æquè, ac me ipſum meritò amem, ego ipſe benefi-

cio

cio impertior. Quod igitur pro iſta re tibi debetur, totum à me vendica. Parùm recipies: quia parùm, aut nihil habeo. Sed multum, imò omnia reponam: quia voluntatis meæ in ijs, quæ pro te, pro amicis erunt, te perpetuum moderatorem faciam. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXIV. Eugubium.

MICHAELI ANGELO MEGANINO humaniorum litterarum apud Eugubinos Profeſſori publico.

SI litterę prioribus tuis ad me reſcriptitię (quod video, & tamen nolo) perierunt, ne pereat apud te fides de mea conſueta erga te beneuolentia. Sed licet perierit charta, certè non perierunt verba; quorum exemplar ad te mitto, cupiditati tuæ obſecuturus. Ad proximas non reſcripſi, quoniam ſemper ſcripſi, vt illis ſatisfacerem, qui in noui Pontificis creatione à me litteras, & orationes poſtularunt. Noſti genium meum ab amicorum petentium re-

pulſa alienum. Pro felici dierum Paſchatis auguratione gratias ago, & par, quod ſtatim animo feci, nunc litteris, repono. Amicus meus fratris filium habet, quem parente orbatum à matre nimis indulgente alienare deſiderat. Iſtum ætate xvj. annorum in contubernium tuum ſi libeat excipere, vt fidei tuæ committatur, efficiam. Num è re tua ſit, cogita, quam mercedem deſideras, reſcribe. Amici rogantis commodum, ſed magis vtilitatem tuam, cui omnibus locis conſulam, deſidero. Vale, & ſtatim reſcribe. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXV. Bononiam.

ANTONIO MARIAE CATANEO.

EGo medicinæ artem non teneo, neque profiteor; & tamen ingenuè fateor, me vix patrem tuum febricitantem vidiſſe, cùm mortem ab eo non longè abſentem cognoui. Illud pręſignarunt ſtomachi dolor acutiſſimus, inquies nocturna, vrinæ, quas vocant, ſubiugales, cibi faſtidium,

pal-

pallentia labia, ſitis aridiſſima. Cognitionem meam rei exitus nihil fefellit. Doleas licet patris obitum, quouſque homines intelligant, te mortali patre genitum non ignoraſſe, quouſque, dico, vulgatum illud de te comprobetur. *Viſa tela minùs feriũt.* Vidiſti namque, & multi prædixerunt, illius ægrotationem fuiſſe capitalem. Ego, qui tibi ſolatium affere poſtulo; non mediocriter doleo, amico orbatus, qui mea cauſa omnia volebat, cuius cauſa ego omnia volebam. Mutui fuerunt animi affectus, mutuæ voluntates, at non mutuæ vires. Ille in mei beneficium plus potuit, plus etiam effecit. Verùm, quippè qui inter ceteras animi virtutes, animi altitudinem exercuit, quod ego minimum potui, plurimo, quod ille valuit, conferens, par pari datum exiſtimauit. Sed quoniam re vera multum illi debeo, quod à me nec ſuperſtes repetijt, nec mortuus poteſt recipere, tibi perſoluendum iudico: vt legitimæ hereditati tuæ nihil deſit; & præſertim à me, cuius quodcumque eſt, in ius tuum per Hyppoliti demortui merita omni-

Digitized by Google

nò cedit. Ne fruſtra hæc dixerim, tamquam in auras euaſura, operæ meæ ne parcas, valeas, & à defuncti vitæ innocentia perpetuum in eius funere ſolatium excipias. Ex Villa.

EPISTOLA LXXXVI.

AMICO CVIDAM.

SI doles, quòd filium ſuſceperis, lætitiæ cauſam in animi angorem conuertis. Ecquid lætius, ecquid iucundius, quàm ſimile ſibi procreare? Numquam magis te hominem ſentis, quàm cùm hominem gignis. At enim, quiſque meum loquitur, quoniam mei ſpeciem refert: ceterum, an ex me natus, nemo poteſt affirmare? Multi fundum ararunt: quod illic natum, vnius tantum laboris fuerit? Italus, & Hiſpanus arationi vacarunt: cur meſſis laus Italo, non Hiſpano aſſignanda? Nemo meritis ſibi elogijs fraudetur. At ego. Fundus Italus eſt, igitur Italo magis amicus. Porrò Italis Hiſpani cùm parciores ſint, fundus

ab

ab Italo culturam acceperit lætiorem. Ad ſummam, vera, quæ audio. Puerulus ad conſpectum tuum arridet, gaudio geſtit, quaſi te patrem nihil ambiguus agnoſcat. Si ille ætatis deffectu rationis expers te genitore non parùm lætatur, tu illum à te procreatum neges? Affirma potius, & gaude. At quoties illum videro, horribilem peccati imaginem, quæ animum ſedulò exagitet, videro. Hoc magis gaude: quoniam apud te fuerit, qui culpæ turpitudinem obijciat, vnde illius ſordes fuſis coram Deo lacrymis deleas. Vale. Bonon.

EPIST. LXXXVII. Ad S. Ioannem.

PETRO MIGNINO.

TV ſycophantiam à Mauro doctiſsimè cōſtructam per litteras aperuiſti: ego albis dentibus legi. Nunc, vt par tibi reponam, iſtam ab Italo nihilominùs, quàm Maurus, aſtuto conſutam in præſentibus habeas, & riſum, exemplo meo, ne contineas. N. amicus (noſti quem loquor)

nu-

nudius tertius in ædium ianua hominem ſerò venientem expectabat. Interim quidam præterit, modeſtè interrogans, num via illa ad plateam pertineat. Reſponſum eſt. Pertinet quidem. Non multò poſt, qui plateam verſus abierat, redit, tibialium ſericorum venditione oblata. Ea oſtendit tenuiſsima, & ſummo ſtudio elaborata. Pretium xx. drachmas petit, affirmans dimidio pluris valere, ſed pecuniæ indigũ ſe, nihil ſupra deſiderare. Amicus dimidium offert. Venditor dimidium dimidij addat, expoſcit. Emptor renuit. Ille quaſi iratus, quòd merx cariſsima adeò vili æſtimaretur, tibialia chartaceo tegumento obligata occulit, poſtea itionem ſimulat. Vix duos paſſus confecerat, cùm recedit, pretium ab emptore oblatum recepturus. Emptor x. drachmas libens enumerat, ratus ſe optimè emiſſe. A ſycophanta inuolucrum accipit, num idem ſit, nihil obſeruans. Venditor voti compos abit. Amicus ædes conſcendit, vt tibialium ſericorum aſpectu ſe, ac domeſticos omnes oblectet. Inuolucrum coram omnibus ape-

rienti

rienti non tibialia ſerica, ſed tibialium laneorum apparent laceramenta. Emptorem deluſum omnes riſu lacerant, vilem emptionem cariſſimam habeat, monent. Quid? Itali dolus nonne Mauri aſtutijs anteuertit? Omninò non à Mauris modò, verùm etiam ab Italis diligentiſſimè cauendum. Et qui ſibi optimè cautum amat, paucis fidem adhibeat. Vale, & ride. Bonon.

EPISTOLA LXXXVIII. Bononiam.

PEREGRINO GOLFARINO.

HEù quid audio! Rocchus amicus noſter, dum in curia Romana non ſpe minùs, quàm ætate floreret, breui, ſed tamen lethali morbo exarſit! Heù iterum quid audio! Rocchus cum Illuſtriſs. Abbate Ludouiſio, cuius ſeruitio addictus erat, Romam petiuit, hunc non multorum menſium ſpatio ſacrę Conſultæ Prҫſulem, Cardinalem, S. R. E. Camerarium, gratiarum ſignaturæ Præfectum, Bonon. Archiepiſcopum, quid multa? rerum omnium (licet

(licet hoc verbo vti) dominum vidit;quoniam illius patruum Pauli V. Pont. Max. ſucceſſorem vidit, in ſummo felicitatis cumulo diem ſuum obijt. Eſt profectò, cur doleamus, qui amicum omniũ cariſſimum intempeſtiuè amiſimus. Sed doloris (obſecro) cauſam obliti, illud nobiſcum taciti animo euolamus, quàm inania ſint mortalium conſilia: quid ſpei in rebus humanis liceat collocare. Animus noſter ad honorum, ac dignitatum adeptionem anxius anhelat: quicquid laboris eſt, iucunditatem credit, nullam nec diurnę, nec nocturnæ quietis partem ſibi impertit; omnia ſuſtinet. Nauclerum denique imitatus, qui poſt ſcopulos, & ſyrtes cautiſſimè euitatas in portu ipſo naufragus perijt, is in dignitatum, honorumque adeptione vitam amiſit. At certè non amiſit, potiùs inuenit, qui in iuuenta mortalium cœtui ſurreptus, immortalium animorum, qui æuo fruuntur ſempiterno, numerum expleuit. Vale. Ex Villa.

EPI-

EPSITOLA LXXXIX. Bononiam.

PHILIPPO COSPIO
In Bonon. Archigymnaſio legum Interpreti Extraordinario.

IAmpridem conſilij tui vtilitatem animo præſens, nunc re ipſa experior. Laudes, & gratiæ collocutioni, quam nouiſſimè de iſta re inter nos agitauimus. Illic mihi per tenebras ambulãti optatiſſimam lucem reſeraſti. Vis ſcire prudentiam tuam quanti faciam? Vnum quemque diem mihi tecum amicitia coniuncto poſt hac exigendum nõ magna auri copia emptor à me poſſet auferre. Vna enim die apud te multos theſauros inueni, quos nulla temporis iniuria abrodet, aut nullus fur etiam maximè verſutus mihi ſubducet. Rectè, & verè quidem affirmaſti. Curas in animi tui penetralibus conſepultas mihi viro amiciſſimo proferre ne dubites. Si facias animũ quàm citiſſimè defęcatum habueris. Certum fuit obſequi, & certè obſequium profuit. Enim verò, quod diù animum meum agitauit, deletum

letum eſt, atque abſterſum. Nec ſcrupulus quidem reliquus, qui me premat, aut pungat. Poſt hac inoffenſo pede incedam, & licet tenebræ ſint denſiſſimæ, mihi tamen dies eluxerit. Pro iſta luce tibi gratias ago immortales, & quoniam me in lucem produxiſti, iure meritò patrem appello. Vale. Bononiæ.

EPIST. LXXXX. Coloniam Agrippinã.

FABIO ALBERGATO ABBATI Aediſq; Primariæ Bonon. Archipresb.

QVæ ſummi viri proferunt beneficia, accipientis meritum inopia coaleſcunt. Tu nobilitatis, & virtutum præſtantia vir ſummus, ego nullius ferè meriti homo. Tua igitur in me beneficia, cùm à ſumma liberalitate ſint, huic virtuti accepta libentiſſimus refero: potiſſimum verò, quod nuper accepi. Dum enim Epiſtolarum mearum Centurias Bononiæ in lucem editas, vt iſtic etiam poſt annum, prælo committantur curas, vt mei fama, quæ propria imbecillitate me ipſum non

ex-

excedit, montes tranſuolet, Coloniam Agrippinam attingat, illinc etiam vltra peruenit, curas. Beneficium honorem reſpicit, huic tu non parum auctionis affers. Honore nihil melius, nihil præſtantius. Quod igitur in humanis maximum eſt, tibi debeo. Imò honor diuinus eſt, quoniam neſcit interitum. Cùm tu immortale quid dones, ego ipſe me tibi æternum non dono, ſed olim meritis tuis donatum, lætor. Donum nihil ingratum accidiſſe, vbique locorum vtens, re ipſa, obſecro, oſtende, & primarijs dignitatibus, quæ ſenectutem expetunt, in ipſa iuuenta iam matúrus, feliciſſimus viue. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXXI. Vergianum.

VGOLINO COSTAE.

Litteras tuas à Præsbytero mihi prorſus ignoto accepi, quibus redditis citiſſimus abijt, nulla ſui alloquendi facultate impertita. Ex ſcriptionis argumento poſtea conieci, Duci Parochum eſſe, qui

ſedis

ſedis commutandæ deſiderio tenebatur. Statim Chriſtophorum Bacchettum (de illius namque rebus agitur) adeo: num iſtũ Parochum norit, percontor, ea indicia, quę me optimum coniectorem declarant, accipio. Idem Parochus Samperiorum ædes petit, me abſente, cum Reuerendiſs. Abbate ſermonem agitat, poſt multa, de Parochiæ commutatione, ne hilum profectò ſe cogitaſſe affirmat: illud cauſatus, facillimè futurum, vt, ſi ab Eccleſia ſibi commiſſa per trimeſtre ad aliam commigraret, non multum laudis acciperet. Iſta vt audiui, quàm maximè ſum admiratus; vt potè ijs, quæ abs te percepi, repugnantia. Quocirca, ſi Bacchetto conſultum velimus, aliam quercum excutiendam exiſtimo. Iacobo Gattlano ex rei neceſſitate reſcripſi, Bononiam cum fratre accedat, rogaui, illud pollicitus, me cum ingenti illius domeſticorum vtilitate ſuprę mam manũ negotio additurum. Si venerit, aut aliquid reſcripſerit, te certiorem faciam. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LXXXXII. Ad S. Marinū.

IO. ANDREAE BELLVTIO.

AMicorum poſtulatis, etiam ſi quid in nos incommodi adſit, nihil denegandum. Qui amici rebus cum ſuo commodo inſeruit, ſibi, non amico, inſeruit. Quæ tu deſideras, hilaris mitto: hoc tantum triſtis, quòd poſt publicas, & priuatas occupationes tempus non ſuppetat, vt deſiderio tuo cumulatiùs ſatisfaciam. Quid autem tuo? Veriùs dixiſſem meo. Tu namque à cupiditate mea nihil alienum, quinimò nõ maximè congruum deſideras. At nimis modeſtè petis, qui quicquid cauſa tua efficio, liberalitati meæ, non tuis meritis adſcribis. Ego non adeò liberalis ſum, vt tuis erga me beneficijs maximè parcus non videar. Quę tu irrogatus in dies mea cauſa facis, maxima: quæ ego iuſſus pro te facio, vulgaria ſunt. Et ſi quis obijciat, cur iuſſa expectem? illud à te quærat, qui, cùm operam meam tibi ſæpius exhibuiſſem, reſpondiſti: Nihil tua ſponte facias. Si quid opus erit, lingua

ſilentij non amica expreſſerit. Ego, qui omnibus in rebus genio tuo obſequi debeo, nihil iniuſſus facio. Iube igitur, ne otio tabeſcam, dum pro te negotia vehementiſſimè deſidero. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXXIII. Taurinum.

ALEXANDRO FRATRI ILLVSTRISS. Apoſtol. Sedis apud Sereniſſ. Allobrogum Ducem Nuncij Ordinarij à ſecretis.

QVàmplurimi ad Romanam Curiam, nouo Pontifice creato, res nouas viſuri curſum capeſſunt! Illuc non vnius amicorum litteris appellor, qui à Pont. liberalitate ſpes largas obijciũt. Ego reſpondeo. Sperent, qui meritis abundant, & parce ſperent, qui multum aſſequi poſtulant. Gregorius XV. liberaliſſimus eſt, ſed Curialium deſiderio, quod à neceſſitate modum non habet, ſuppetere non poteſt. Hinc fit, quò apud multos ſpes numquam matureſcant, & qui multum ſperant, nihil acci-

accipiant, pauperes viuant, pauperrimi obeant. Si res ita ſe habet (quod experientia ipſa demonſtrat) quid ego nullius meriti compos ſperem? Cur ſpe decollata, Bononiam, quæ me, quaſi mater amantiſſima, nutrit, ingratus relinquam? Si neceſſitatem meam reſpicias, quæ teneo, parua ſunt: ſi cupiditatem, magna. Paruis acquieſcat, qui ingentia attingere non poteſt. Veriſſimè enim Comicus,

Qui alta quærit, malum ſuum quærit.

Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXXIV.

AMICO CVIDAM.

MVltos iſtic reperiri audio, qui inter litteratos viros primatum ſibi arrogantes, ceteros fungos eſſe arbitrantur, in nullo pretio habent. Iſti, qui nam ſint, neſcio, &, ſi vera loqui libeat, neſcire gaudeo, quia vix orationem continerem, quin illorum ſuperbiæ vento agitata in eoſdem vehementiſſimè agitaretur. Ipſi ſe arbitra-

tu ſuo æſtiment: alios non aſpernentur. Haud rectè ſentiunt, qui aliorum depreſſione extolli credunt. Non extolluntur, ſe potius extollunt,

—— *vt lapſu grauiore ruant*.

Vento enim opinionis, quo elati ſunt, eodem magis, magiſque inflante deprimuntur. Satius profectò eſt, demiſsè de ſe ipſo ſentire, alieno magis, quàm proprio judicio cenſeri. Ecquis ſe ipſum non amat? Ecquis de ſe perperam iudicat? Omnes philauthia decipimur: & monſtri exempli eſt, ſi centeſimus quiſque ſe ipſum nouit. Verùm quid nobis ab huiuſmodi hominibus timendum? Nebulones ſunt. Sinamus ita eſſe. Inanis eorum gloria, quaſi nebula euaneſcit. Hanc ventus ipſe, quo inflantur, citiſſimus diſperget. Vale, & iſtorum genio indulge, quoniam *Inſcitia confidentiam parit*. Iterum vale, & me ama. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LXXXXV. Ceruiam.

FRANCISCO NERIO.

NOuiſsimæ tuæ, quæ mihi ruſticanti redditæ ſunt (liceat quæſo per amicitiam nihil fucatè loqui) riſum, & bilem ſimul conciuerunt. Illum, qui amoris tui principium, & ordinem, vbi multa riſu digniſsima, in medium affers: iſtam, quia me amoris conſiliarium facis. Bilis tamen nulla eſt, dum tibi facilis indulgeo. Amor, qui cæcus eſt, alios etiam cæcos facit. Tu igitur ineptiam meam conſilio de iſta re præbendo non vidiſti. Oculos recclude, vide, hoc age. De re amatoria conſilium quæris? Virum amantem adeas; me, qui nunquam amaui, ne expetas. Alios docere optimi magiſtri eſt. Experientiã optimam magiſtrã nemo diffitetur. Ego amorem nihil expertus, quę amoris ſunt neſcio. Inſcius doceri magis debet, quàm docere. Iſtud nequeo: illud negligo. Impotentia ſatis me poteſt excuſare. Voluntas à Deo libera, hominum imperio non ſubiaceat.

Libera, inquam, ſit in ijs, quæ ſibi obſunt. Nolo amorem doceri: quia ærumnam omnium maximam iudico, in ludo Veneris (vt ille ait) vapulare. In eo enim ex Phedra apud Senecam Tragicum hæc adſunt mala.

Fuga quietis, & ſomni,
Cura continua,
Ardor inextinctus, ſemper augeſcens.
Neglectus omnium ſolitorum ſtudiorum:
Otium in quotidiano penſo,
Auerſio quædam à cultu diuino, & omni pietate.
Imitatio ſtudiorum, quibus quem amas, deditus eſt.
Scire meliora, ſequi deteriora:
Sana conſilia ſequi cupere, & rapi in præceps.
Deſperatio, & conſultatio de nece ſibi conſciſcenda,
Fruſtra conari tegere flammam, ſe nimis claris ſignis prodentem,
Tenebris gaudere, Solem fugere, & oculos mæſtos demittere.
Summa inconſtantia, & mutabilitas in

cor-

corporis habitu, & actionib. omnibus.
Cibi, & ſalutis incuria:
Virium, caloris, decoris iactura,
Tremor greſſus,
Aſſidua lacrymæ.

Ludus ergo Veneris, non ludus, ſed Infernus. Infernus ſibi amicos excruciat: Venus ſui amantes euiſcerat. Imò ſæuior, quàm Infernus. Is non fallit. Ab eo malum expectas? malum habes. Ille omninò decipit. Altera manu fert mœrorem, gaudium oſtetnat altera. Hinc ipſa Phedra.

O ſpes amantum credula, ò fallax amor!

Qui malum grauius Inferno amat, is ſolus amet. Ex Villa.

EPISTOLA LXXXXVI. In Villam.

FRANCISCO COSPIO
Illuſtriſſimi Bonon. Senatus apud Summum Pont. Oratori Ordinario electo.

QVi muneri inter ordinis ſui ciues maximo nō ſemel præficitur, maximus etiam vir habeatur, neceſſe eſt: quo-

niam ex magiſtratu viri excellentia dignoſcitur. Tu legationis munere apud Summum Pontific. felicis record. Clementem VIII. pro patria adeò prudenter, laudabiliter adeò functus es, vt nemo non dignum te iudicarit, qui hoc ipſum iteratò apud Gregorium XV. ſuſtineres. Quippè nouerunt te Senatorem ſapientiſſimum, morum innocentia excultum, proprij commodi aſpernatorem, publicę vtilitatis amātiſſimum. Nouerunt, dico, quanti eſſes apud ipſum Clementem; qui tua rerum gerēdarum dexteritate quondam illectus, te ſæpè, ac ſępius de maximis rebus conſulebat. Tibi igitur ſummoperè gratulor, occaſionem iterum oblatam, qua virtus tua per ſeptem collium vrbem vires ſuas magis, magiſque pro ciuium tuorum vtilitate atque amplitudine valeat exercere.

Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LXXXXVII. Romam.

CAROLO RVINO COMITI, Bonon. Senatori, Marchioni renunciato.

NObilitas honorum cibus, honor nobilitatis condimentum eſt. Tu vſque adhuc cibum apprimè conditum habuiſti: nunc oppiparè conditum habes. Magnum è Comitatu honorem accepiſti; ſed maiorem certè pręſtabit Marchionatus. Vt diuturno cibo natura alitur, enutritur, ſic iſta dignitas tibi neceſſariò debebatur. In cunabulis honores meritus, optimis moribus, optimis litteris ad iuuentam educatus, non accipias? De iſta re nuncio non magnoperè lætatus ſum; quoniam quæ præter opinionem, contingunt lætiora. Ecquidem gratulor ætati, quæ dum magis floreret, magis decorata eſt. Illinc ſpes manat, fore, vt illa diutiſſimè fruaris. Ego & diutiſſimè, & feliciſſimè deſidero, ac precor. Quo longiorem vitam traduxeris, eo longius Bononienſium iuuētuti exemplum oſten-

oſtenderis, quibus laudibus honores laudatiſſimi comparentur. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXXVIII. Bononiam.

TIMOTHEO A S. PAVLO Ordinis Diſcalceatorum.

QVam verè Eccleſia mater omnium piiſſima, Spiritus ſancti afflatu erudita conſtantiſſimè affirmat, Deum infirma mundi eligere, vt fortia quæque confundat! Meum, amicitię tecum contrahendæ deſiderium fortiſſimum fuit, & inſuperabile. Deus, vt illud confunderet, Alexandri de Fabis Equitis S. Michaelis infirmam valetudinem elegit, illudque non modò confudit, ſed diluit, abſterſit. Cùm enim vterque noſtrum, tu ardentiſſimæ caritatis, ego Parochialis curæ ſtimulis incitatus, illum infirmitate corporis fatiſcentem viſerem, mihi de fama iam notus, de facie, de moribus iſti ſanctiſſimo Ordini ad amuſſim congruentibus, innotuiſti, in amicitiam tuam iamdiù optatam recepiſti.

Voti

Voti mei compos factus, non amplius deſidero, fruor. Sed, quia nihil, quod mortale ſit, animum meum poteſt explere, is fruendo æternitatem deſiderat; quoniam ipſe eſt æternus. Ego animi quietis ſtudioſus, hunc ad Alexandri vitæ finem mitto. Miſſus ſic contemplatur. Alexandri finis finem neſcit, qui grauiſſimi, ac diuturni morbi via patientiæ ſoleis calcata, adeò vt in infirmitate cum D. Paulo potentior factus ſit, ad finem finium, nempè Chriſtum deuènit. Illius inualetudine, vnde amicitia noſtra originem duxit, æternitatis valetudinem aſſecuta, quo pacto amicitia non erit æterna? Vale. Ex Villa.

EPISTOLA LXXXXIX.

DOMINICO COMELLO.

TV ſcriptionis argumentum obieciſti pulcherrimũ, ſed re vera difficillimũ. Tot .n. tantaq. iſtius Illuſtriſſimi Senatus merita inſpexi, vt illius laudes aggreſſus, quaſi labyrinthum videar ingreſſus: vnde nulli

nulli Dedaleo artificio exitus detur. Sed, quoniam vbi amicorum preces accedunt, ſi propriam impotentiam prætexas, voluntas abeſſe iudicatur, laborem à te licet maximum, libens ſuſcepi. Tu, quicquid ab ingenij mei ſterilitate prodijt, libens ſuſcipias. Si enim eloquentiæ meæ inopia vnius priuati hominis laudi non ſuppetit, eo minus quinquaginta Senatorum encomijs par erit.

EPI-

EPISTOLA C.

ILLVSTRISSIMO BONONIENSIVM SENATVI.

CVm in ea cogitatione totus verſarer, vt ingenij mei primitiarum humilitas eximia patroni maieſtate ſubleuaretur, Senatus veſter P.C. omnium celeberrimus animo occurrit, qui longè ſupra deſiderium meum, ne dum meritum liberalis, pro vno, quinquaginta patronos obtulit clementiſſimos. Iſti ſpem non dubiam oſtenderunt, ſe, & numero, & animo Argonautas, auſpicio ſuo, viam mihi munituros, qua iuris prudentiam è ciuilis Philoſophiæ adytis, perinde, ac vellus aureum è templo Martis feliciſſimè reportarem. Vnde de patrono eligendo curæ iam ceſſanti, cùm altera ſuccederet cura, num earundem primitiarum demiſſionem tanti Senatus grauitas foret dignatura, non vulgaris de veſtra benignitate confidentia illud mihi obiecit, vos nihil aſpernaturos tutelam illius, qui nulla re meritò magis, quàm

Digitized by Google

ſe Bononiæ veſtrum clientem natum gloriatur. Illud (quæſo) benignius efficite, ne fruſtra ſe gloriari ſentiat: vnde nullum adhuc optato patrocinio fraudatum non ignorat. Si haſce legales theſes, quas vobis, qui legum lumen eſtis, & columen, dico, & ſacro, auctoritate veſtra fulciatis, ecquis à me alacri animo defendendas inficietur? Sunt (non inficior) primitiæ propter immaturitatem inſuaues: ſunt tamen illius arbuſculæ, quæ in feraci ſolo, ſi ad irriguum veſtræ liberalitatis fontem adoleſcat, ſe maturos fructus, temporis beneficio, emiſſuram non deſperat. Vt vniuerſa Ciuitas valeat, valete.

FINIS CENT. III.

Digitized by Google

DOMINICI
CÆSARII
EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIA IIII.

EPISTOLA I. Bononiam.
LVDOVICO VRSIO COMITI.

QVID, ſi patris tui merita erga me, ingentia nominaro? Falſa eloquar. Ergo meus pater nihil de te meritus? Non certè nihil, ſed potius nihil non, affirmo. Igitur omnia? Sic certè eſt. Ideò, ſi quæras, quid illi debeam, dicas, me omnia debere. Adde me ipſum, nempè

Digitized by Google

voluntatem, quæ nullius imperio ſubiecta ei libentiſſimè paret. Quicquid patris eſt, in filiorum poſſeſſionem deuolutum intelligitur; & in primis illorum, qui patriam poteſtatem adeò æquanimiter ſuſtinent, vt emanicipationi aduerſentur. Cùm igitur voluntas mea à tuo arbitrio pendeat, illinc lætitiæ quantumlibet, prò nuptijs à te cum virgine nobiliſſima contractis elicias. Iubeas me non minùs lætari, quàm tui mores optimi, omniumq. fama celeberrimi debent poſtulare. Sed (quę ingenita eſt modeſtia) nō poſtulāt. Plurimùm, dico, iubeas, & ſi quid vltra reperitur. Quamobrē eouſq. mihi gauiſus, tibi gratulor, prolemque tuis laribus dignam auguror, quæ me clientem agnoſcat, auique, & patris exemplum ſecuta, liberale in me patrocinium exerceat. Vale. Ex Villa.

EPI-

EPISTOLA II. In Villam.

ANDREAE MARIANO PHILOSOPHO in Bononien. Archigymnaſio Logicæ Profeſſori.

TV igitur hoc anno ipſo ruſticaberis? Amicorum voces, quæ te in vrbem arceſſunt, non audies? Licet, inquis, ruri ſim, attamen ſum in vrbe, imò in orbe, vbi deſiderio meo nihil non obuium, nihil non paratum. Vbi referta amicorum copia, quibus cum in vrbe de re litteraria, de tua amantiſſima Philoſophia ſermonem agitare conſueueris? Iſti quoque, vt plurimum adſunt, &, ſi interdum deſint, mihi ipſi non deſum: ipſe me alloquor, de multis percontor, potiſſimum quid voluptatis ſentiant amici in vrbe, dum Archigymnaſium per ferias non frequentatur. Ergo (quod ais) villam iſtam Ciuitati anteuertis. Iſtic oblectamenta, iſtic luſus, riſus, iocus, hilaritas, feſtiuitas. Te felicem, qui, etſi longiſſimè abes, ab vrbe tamen nihil abes. Si ita eſt, illic ſis, quamdiù libet. Quò ad

nos ſerior, eo villæ delitijs plenior. At.n. Philoſophia illud monet. *Ne quid nimis*. Æquam menſuram non excedit, qui genio ſuo ex neceſſitate morem gerit. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA III. Foroſempronium.

FERDINANDO CHARTARIO I. C.

O Monſtri exemplum! Attilius pater tuus in communem locum abijt, tu verò ne minimum quidem ea de re mihi verbum? Quò vetus inter nos amicitia, quò ſingularis beneuolẽtia, quò vtriuſque fortunæ ſocietas abijt? Quicquid iſtorum fuit, temporis inuidia abroſit? In auras euaſit? Durior certè, quàm tempus, amicitia: aut ſaltem non mollior, quia non breuior. Tempus nulla re conſumitur; quin potius omnia conſumit: amicitia temporis longitudine nihil decreſcit, ſed magis augetur, confirmatur. At animi ægritudo ſtylum cohibuit, quò minùs litteras ad me de parentis obitu nunciatorias exararet.

Si

Si ita eſt, libens ignoſco, illud mecum tacitus animo euoluens, te fortaſſe ijs deſtitui ſolatijs, quæ ceteros eadem fortuna vtentes, non ſolent deficere. Sed quæ ſolatia magis opportuna, magis iucunda, quàm quæ à virtutum nutrice prudentia? Iſtam Attilius vir, quotquot patria noſtra enutriuit, prudentiſſimus apud te adeò fulgentem inſpexit, vt filium per omnia ſibi ſimillimum ſuſcepiſſe, gloriaretur. Iſta amanter monet fortunam, quæ communis eſt, haud lugendam. Nullus vitam accipit ea conditione, vt aliquando non amittat. Animus noſter eſt, non corpus; & ideo, ille, non iſtud æternus. Vixit pater tuus, & non breui (ſi rectè cogites) vixit: ſed (quod pluris eſt) eo tempore viuere deſijt, quo res omnes domeſticas optimè compoſitas vidit, te quoque doctoratus dignitate ornatũ, cum nobiliſſima femina coniunctum, ex ea nepotes vidit ſibi, & totius Chartariæ familiæ monumentum. Mitto animum tuum huiuſmodi fortunæ ictibus obcaluiſſe, cùm matrem, quæ te perditè amabat, non multò poſt duos fratres cariſſimos, poſtremò

amitam, quæ ſi illius quaſi ſuperſtitis animum reſpicias, tamquam filium diligebat, amiſiſti. Huiuſmodi amiſsio non vndique inutilis, illud attulit, vt animum tuum contra aduerſæ fortunæ tela ſapientiſsimè appara ueris. Quæ noua non accidunt, minus certè feriunt. Animus tuus iſtis malis, (ſi tamẽ mala ſunt) aſſuetus, excuti potuit, non deici. Imò uon excuſſus; vix ad excuſſionem tentatus. Tu igitur prudentiæ, & experimenti armis ſuffultus reſiſtas, dolore opprimi ne ſinas. Et ſi ſolatium quæris, non aliunde, quàm à te ipſo petas, qui alijs in fortuna ſimili ſolatium afferre conſueuiſti. Ego in doloris acerbitate, ob patroni, qui mihi inſtar omnium fuit, cuius piæ memoriæ fratri me ipſum debere fateor, amiſſionem, ab eiuſdem anteactæ vitæ integritate ſolatium accipio. Hæc me illum in æternis ſedibus, æterno æuo fruentem, oculis obijcit. Hæc lacrymas ex corde per oculos, quaſi per alueum gurgitatim fluentes, diluit, & abſtergit. Tu amorem in me tuum ne diluas; ſed potius, ſi quid tua cauſa valeo, audaciſsimè iubeas, vt illi nihil omninò

ninò

ninò detractum oſtendas. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA IIII. Bononiam.

ROCCO FIDELIO CORNIANO.

LAudo genij tui ad ſcientiam Philoſophiæ propenſionem: ſed multò magis laudo, quòd ei laborem impendis. Vt enim gladius, cui acies acuta, niſi ab artifice moueatur, nullius eſt vſus; ſic hominis ingenium, niſi exerceatur. Philoſophia iuuentutem tuam ornabit, ſenectam adiuuabit. Ex cũctis rebus nihil noſtrum, niſi tempus. Ex tempore noſtrum tantummodò, quod loquimur. Hinc grauiter peccant, qui, quod ſuum eſt, non vtuntur: qui vitam agunt otioſam, aut in otio voluptuoſam. Tu in iꝭs cenſeris, qui aureum illud de voluptate memoria tenent.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit furenteis,
Apumque par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit iſta corda morſu.

Non ſic animi oblectatio, cui tu laudabiliter inhæres. Mel ponens, non pungit; quin vngit, neque fugit. Conſtans eſt, atque æterna, animum, qui æternus eſt, amplexata. Tu igitur ſapis, qui, quod fragile, & caducum eſt, relinquis; quod æternum eſt, ſequeris. Cura, vt iſta voluntas ſit æterna: vtilitatem, & honorem æternum tibi allatura. Libens, credo, indulgebis, ſi adhortationem laudibus adnecto. Præſtat certè, currentem calcaribus addi, quàm ceſſantem impelli. Is curſuram fortaſsè implebit, ille alacriùs certè, ac celeriùs complebit. Vale.

EPISTOLA V. Bononiam.

IOANNI FRANCISCO ANGELELLO.

ISTos labores, ſi frequenter ſuſtineas, non diù, mihi crede, ſuſtinebis. Iter, quod alij vix die ipſo, tu non multarum horarum ſpatio confeciſti. Laudo laborem, ſed non citra defatigationem. Poſt huiuſmodi corporis agitationem, quæ virium reſtauratio?

tio? Vinum, inquis, Gnoſſium, & quod illic omnium optimum. Rectè quidem. Vinum etiam poſteaquam in ventriculum meauit, degenerat in ſanguinem. In poſterum tamen iſta exercitatio quanto rarior, tanto & corpori, & animo fuerit gratior. Ideò ſit rariſſima: ne tantum de viribus demas, quantum poſteà non liceat reſarcire. Non difficile eſt aufferre; ſed reſtituere difficillimum. Præterea.

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

Vt dures, contra genium tuum dura, illi aliquid nega. Bononiæ.

EPISTOLA VI. Durantem.

LVDOVICO DONZELLO.

Liceat amico animi elationem præſeferre. Quid enim ad te, vel contra te? Triſtem eſſe illi, qui plus valet, mera inſania. Tu ab eo, nihil certè indigus, à tãtis curis, & moleſtijs tandẽ aliquando abſueris. Quid verò curis, & moleſtijs? imò damnis,

nis, & ærumnis; quibus, niſi illius conſuetudinem deſeras, te miſerimè abſortum video. At certè deſerui: quia ſuperbia elatus à me longiſſimè abijt. Quanto magis eum ſuperbiæ venti in altum ferent, tanto velociùs portum capeſſet, vt aliquid illinc aſportet. Sed (quod ego reor) non abijt, quamuis ſimulet abijſſe. Non abijt, quia non poteſt. Apud te fixus eſt clauo vtilitatis. Sed fac abijſſe: ipſa vtilitas, quæ tibi eum conciliauit, iſtuc citiſſimè reuocabit. Ille mutus non erit: excipiet voces, neque aſpernabitur. Tu redeuntem aſpernare, ſi rebus tuis conſultum deſideras: ſecus, ſi redituro ad te aditum non intercludas, aut, cùm acceſſerit, penitus non excludas, erit profectò cum ab animo tuo te excluſerit. Vale. Ex Villa.

EPISTOLA VII. Parmam.

CAROLO DE LVTIIS I. C.
Parmen. Eccleſiæ Cathedral. Canonico.

EGo neque ſcurras amo, neque illorum amantes laudo. Nihil aliud cogitant, quàm

quam ſaturitatem. Hanc quaſi Deam venerantur. Ipſi aſsiduè rident; & riſu alios ne ſentientes quidem in fletum impellunt. Domi ſuæ panem ſecundarium, & cæpas comedunt, & ſi illa ſunt, ſatis habent; foris lautiſsimas epulas liguriunt. Omnino quaſi mures, ſemper edunt alienum cibum. Præſentes de te optimè loquuntur, abſentes, licet omnia dederis, nihil ſe accepiſſe deblaterant, te alterum Euclionem, quin Euclione ipſo parciorem prædicant. Cur igitur in Principum curijs aluntur? Vt in curijs non deſit iſta cura, quæ Aulicorum animos cruciet, eviſceret: dum vident panem morderi ab illis, qui nullius ſunt vſus, niſi vt Principes diſcant, ſe tot hoſtes enutrire, quot ſcurras enutriunt. Bononiæ.

EPISTOLA VIII. Lucam.

CLAVDIO TEGRIMIO.

CAtellus, quem ſtudioſiſsimè poſtulas, à me ſtudioſiſsimè curabitur; nihil eorum,

eorum, quæ in eo deſideras, oblito. Vt in manus deuenerit, de pretio, & venuſtate ad te ſcribam. Color, qui ſupra omnes tibi arridet, inuentu eſt difficillimus: ſed nihil ſpiſſum, & rarum, quod pecuniæ non obuium, præcipuè verò catelli, quos venũ opportunè exponẽdos hic ſinguli ferè parui penates ſolent enutrire. Tu, qui crumenam porri folio (quod aiunt) ligatam habes, nihil non in promptu deſiderio tuo futurum ſperabis. Bononiæ.

EPISTOLA IX. In Villam.

ODORICO DE ODORICIS.

TV mearum rerum ſtatum laudas, externã illius ſpeciem, oculorũ oblectamẽtum contemplatus. Si quod latet, ſemel tantùm liceat introſpicere, quod fauſtum, quod fortunatum vocas, miſerum, & erumnoſum appellabis. Vt reliqua omittam, curam animarum conſidera, quarum onus à qualitate magis, quàm à numero grauitatem ſolet accipere. Iſta animum meum

aſsi-

aſſiduè exagitat, in ipſa quiete, quietem arripit, illud menti frequenter obijcit. *Qui ſibi ipſi præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Cùm ego de me ipſo curam dificillimè ſuſtineam, alijs oneratus facillimè ſuccumbā. Tu Deum Opt. Max. ora, vt vires ad tanti muneris æqualitatem adaugeat. Illud ſi exores, tunc me felicem, & fortunatum iure merito nominabis. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA X. Bononiam.

ELISAEO DE BARTOLIS I. C. Turroni Bonon. Proauditori.

ILluſtriſſimus Cardinalis Capponius Salluſtij fratris tui merita multis in locis, præcipuè verò in Bononienſi Legatione, dum annonam curaret, experientia edoctus, in Romanæ Curiæ Præſulum numero adſcribendum curauit, vt ſibi Vicarium Generalem præficeret. Iſtos honores non vulgares tibi non vulgariter gratulor, tamquam ſi eidem fratri gratularer.

Vos

Vos enim animo adeò coniunctos intelligo, vt vnicam voluntatem in duplici corpore gerentes, nihil niſi, vt alter alterius genio obſequatur, debitum vobis peculiare cenſeatis. Erit fratri tuo, vnde re ipſa oſtendat, optimum Illuſtriſſimi Cardinalis de ſe iudicium nihil omnino defraudatum. Erit Cardinali Archiepiſcopo, vnde gaudeat, ſe Vicarium elegiſſe, qui ſingulares virtutes ſuas ad amuſſim ęmuletur. Erit Rauennatibus, vnde ſentiant, ſe Vicarium accepiſſe virum, qui animarum curam ab amore, & odio alienus gerāt ſtudioſiſſimā. Tibi iterū in gratulor in dies maiora, ſi Deus Opt. Max. adſit, gratulaturus. Summa enim apud Summos Pontifices, qui animo gratiſſimi ſunt, merita non fruſtra ęqualem mercedem expectant. Ex Villa.

EPISTOLA XI. Ad Caſtrum S. Petri.

CAESARI GRAFFIO I. C.

GRaffius vir mecum amicitia coniunctiſsimus à me deſiderium ſuum non exo-

exoret? Nihil certè poſtulabit, quod non impetret; quoniam nihil non meretur. Quod in præſentia poſtulas, paruum eſt, ſi rei qualitatem, ſi voluntatem meam inſpicias. Pete quod meritis tuis, quod deſiderio meo reſpondeat. Si virium mearum imbecillitas petitioni minùs reſponderit, tu Cæſar non minùs animo, quàm verbo, voluntati meæ acquieſces. Ad Illuſtriſsimum Marcum Antonium Gozadinum nuperrimè Cardinalem creatum, gratulatorias litteras miſi. Iſtas, ſpero, beniġniſsimè, vt omnia ſolet, accipiet. Ego apud tantum Principem nihil meritus, ſed cliens ſum oĩum addictiſsimus. Lętor illius virtutes apud omnes tantum meritas, vt nemo non acclamet Gregorium XV. Pont. Max. nihilò magis conſanguinitati, quàm ipſius Conſanguinei meritis Cardinalatus dignitatem conceſsiſſe. Tu non illiberalis, illud conſanguinitati concede. Scipionem à me plurimum ſaluere, ne venationi addictus, ſtudijs ſalutem dicat, iube, & vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA XII. Ad Caſtrum S. Petri.

SCIPIONI GRASSIO.

Accepi litteras tuas ſalutationibus refertas, quoniam de conſuetudine in ſternutationibus ſalutandi continent quęſtionem. Huic ſalutationi duplicem cauſam, & variam auctores inuicem diſcrepantes aſsignant. Nonnulli aſſerunt, antiquos cõſueuiſſe in ſternutationibus ſalutare, vt mala omnia auerterentur: quoniam ſæpè accidit, vt ſternuationes eſſent peſsimi ominis: quale narrant de Hippania, cui ſternutanti dens excuſſus magnum attulit augurium futuræ calamitatis. Prætereà dum Themiſtocles ad aras ſacra faceret, homo à dextris ſternutans augurium declarauit, quo præcipuè captiui immolarentur. Ob id aiunt, Tiberium Cæſarem huiuſmodi ſalutationes diligenter exegiſſe, vt per illas mala imminentia abolerentur. Ariſtotiles verò aliud ſentiens, ſalutationes non ad malorum ominum auerſionem, ſed potius ad quendam cultum, & honorem

rem trahit, affirmans, qui ſternutant ſalutandos eſſe, quoniam ſternutationes originem ducunt à capite, quę pars hominis melior eſt, & non nihil diuini habet: & ideò ſpiritum illinc prodeuntem à nobis per ſalutationes colendum, atque honorandum cenſet. At plura, inquis, de iſta re, quæ curioſitatem continet, deſidero. Lege Plinium in nat. hiſt. & Alexandrum ab Alexandro in Diebus Genialibus. Sed, ne multis ſalutationibus mihi amiciſſimè impertitis ingratus appaream; te ſternutantem fingo, & duplici de cauſa ſaluto: Altera, vt quicquid mali ominis optimo iuueni à mala fortuna imminet, repellatur: altera, vt ſpiritum ab iſto capite fluentem, quod decet, maximè venerer. Bonon.

EPISTOLA XIII. Venetias.

IO. ANTONIO MANASANGVIO Doctori Theologo.

EN Cæſarius tuus amicitiæ munus implet, de accelerata ſcriptione fidem

præſtat. Ad jv. Idus (quod tibi affirmaui) prima luce iſtinc profecti, trium dierum cum dimidio, itinere Bononiam, diuino auxilio, feliciſſimè deuenimus. Cognati, & amici nos amanter exceperunt, quaſi præſentia noſtra non paucos dies, ſed multos annos caruiſſent. Ego domum ingreſſus, non larem familiarem (vt par fuit) ſed Bacchum ante omnes ſalutaui. Ab eo ſalutatione, quinimò ſalute recepta, cur Venetijs me inclementer haberet? interrogo. Reſponſum accipio, ſe Cœli mutatione genium mutaſſe; colles, non planitiem, & præſertim aquatilem amare. Tum ego: ne te mihi diutius iratum experiar, in hiſce collibus, quos vnicè diligis, vnicè reuerebor. Et certè ſic faciam; dum enim à Bacchi amore abſum, à me ipſo abſum. Sed quò prouehor? Germanus videbor, non Italus optimi vini adeò amicus. Liceat queſo, Manaſangui humaniſſime, tecum non nihil iocari, ne publicarum, & priuatarum occupationum, quæ iam turbæ inſtar ingruunt, pondere oppreſſus, ſeria, cum tibi libuerit, ſtylo nequeam exercere. De negotio

gotio à te mihi demandato cum Excellentiſſimo Corniano iterum, ac tertio ſermonem habui. Dum ſeſe offerat occaſio, illum non minùs tuì, quàm meì ſtudioſum reperies. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XIV. Romam.

ANGELO ARCHIEP. GOZADINO Bononiæ Suffraganeo.

SVmma ſunt, nec pauca, quæ Summus Pontifex Gregorius XV. apud ciues ſuos Bononienſes collocauit beneficia. Sed illud omnium maximum, quòd te huiuſce Archiepiſcopatus Suffraganeum (vt vulgò aiunt) declarauit. Declarationis nuncius quid de te iſta Ciuitas ſentiret, reſerauit; Nemo etiam non maximè lætatus eſt, nemo te quamprimùm videre non deſiderat, ea ſpe fretus, vt Paſtorem videant animarum curæ vigilantiſſimum: cuius adminiſtratio bonos foueat, reos terreat: cuius prudentia, & iudicio deprauata corrigantur, correcta ſolidentur: cuius rerum gerendarum

darum vſus, & dexteritas etiam ſupplicio affectos triſtes non dimittat. Hæc à te omnes ſperant: quàmplurimi, qui genium tuum nouerunt, pro certo habent. Ego cliens tibi addictiſſimus ea ſpe, ea fide non dubia, non parùm mihi gaudeo, gauiſus tibi (ea, qua decet, reuerentia) ſummoperè gratulor: & eo magis gratulor, quòd vberem tuarum virtutũ fructum in me minùs certè meritum, & ob id magis, quàm in alios per benignitatem tuam, tamquam per alueum deriuandum non deſpero. Bononiæ.

EPISTOLA XV. Domum.

ANDREAE ANGELELLO.

MOnſtri exemplum eſt noſtris temporibus, ſi adoleſcentem videas corporis, animi, fortunæ bonis affluentem. Et tamen iſta ſimul congeſta te indies magis, magiſque ornare totis viribus decertant. Te felicem, ac beatum, cui in præſenti vita, vbi multis multa deſunt, nihil deſiderandum relinquitur! Flores nobilita-

bilitate, opibus, valetudine, ingenio, & iſto (quod caput eſt) adeò flores, vt refertam fructuum copiam valeas afferre. Magnam apud homines de te expectationem concitaſti. Huic ſi reſpondeas, immortalitatem aſſequèris. Sed ecquis te reſponſurum neget? Non deſunt vires: non deſunt occaſiones. Niſi abſit voluntas, adſunt omnia ad immortalitatis adeptionem neceſſaria. At cur non adſit? Quicquid aliundè eſt, abundas; quod penes te eſt negligenter careas? Ex rebus, quæ noſtri iuris videntur, nihil noſtrum, niſi voluntas. Qui ea non vtitur, ſeruus eſt, nihil habet peculiare, licet cetera omnia videatur habere. Habet, ſed tamquàm apud ſe depoſita. Vti non poteſt, quoniam ſunt aliena. Qui dedit, arbitrâtu ſuo poteſt repetere: qui accepit, debet irrogatus reſtituere. Voluntas numquam redditur. Mors ipſa non aufert, quæ cetera poteſt auferre. Ex ijs igitur, quæ habes, quodnam maximum? Quòd magis firmum, & ſtabile, nempè voluntas. Hæc apud te furtui, aut direptioni patebit? Si quis illam furatur, vel arripit, neminem

accuſa, niſi te ipſum. Vel furtum ſit, vel rapina, tibi non alijs adſcribe. Omnes, repeto, à te magna expectant curioſitati ſuę ſatisfactura: quoniã illud à natura eſt, vt à magnis ingenijs nõ parua nobis polliceamur. Sed nihilo minora deſiderãt parentes tui omni virtutũ genere pręclariſſimi ſuę in te auctoritati concedenda. Dum quantum debes conſideras, quantum poſsis memoria teneas: ſic enim voluntati coniunctæ iſtæ animi dotes nihil apud te otiari ſuſtinebunt. Vale. Ex Ædibus.

EPISTOLA XVI. Romam.

VLIVANO VENANTIO.

LIceat, quæſo, litteris tuis breui, & raptim reſcribere, quoniam me in villam citi rapiunt amici. Iſtis dum obſequor, animo meo morigerus fio: qui à publicis, & priuatis laboribus non nihil relaxationis, vt faciliùs duret, deſiderat. Non diù ruſticabor. In vrbem Parochialis Eccleſiæ cura me, opinione tua citiùs reuocabit.

Tunc à te litteras non præſtolabor, quæ ad officium meum mihi aurem vellant. Cum rediero, ad tui operam cumulatiſsimè tibi ſatisfacturum rediero. Vale, & me ama. Bononiæ.

EPISTOLA XVII. Fanumfortunæ.

IO. BAPTISTAE MARCOLINO.

VT proximas tuas legi, ſtatim illud Symphoriani de fortuna animo occurrit.

Nec quos clarificat, perpetuò fouet.
Nec quos deſeruit, perpetuò premit.

Audiuimus, N. Principis ocellum, & corculum appellari, nec immeritò. Nemo .n. Principis gratiã non eo deprecatore ambiuit: nemo illius apud Principẽ obſecrationes irritas reportauit. Ad ſummam ex aluo materno in fortunę gremium expoſitus illic ad ſummam ætatem enutritus videbatur. Et tamen dies aliquando adfuit, quo fortuna eius fortaſſe animi gratitudine minùs contenta, è gremio poſitum in terram

allisit. Nemo, qui rectè ſentiat, iſtam rerum viciſsitudinem admiretur. Fortunæ rota gyrum luſtrat: quicquid ſummum eſt, in imum deuoluitur. N. diù in ſummo fuit, in imum deuolutus patiatur. Nos, ne ab iſto ſpectaculo inducti recedamus, aureum illud ſemper recordemur.

Deſinat elatis quiſquam cōfidere rebus.

Caſalecchij.

EPISTOLA XVIII.

AMICO CVIDAM.

LOngam ad te ſcribendi intercapedinem feci, non corporis, ſed animi vavaletudine impeditus. Enim verò diù anxius fui, quod litteris meis in tuarum caſtigatione conſcriptis, cum ſupercilio elato, & quaſi cum ſtomacho reſcripſiſſes. Vnde facilè conieci, te ſententiam meam precibus magis extortam, quàm voluntariam iniquo animo ſuſtinuiſſe. Qua in re ceruos imitari viſus es; qui viperas ex intimis terræ viſceribus afflatu cupidiſſimo extractas,

aut

aut fugiunt, aut deartuant. O quàm verum Terentianum illud!

Obſequium amicos, veritas odium parit.

Eſto tamen. Quoties amici opinionem meam exquirunt, hanc neque fuco, neque fallacijs oblinitam ſe accepturos credant. Malo amicus haberi, quàm adulator. Si quis à me laudem aucupetur, laudis occaſionem præbeat: ſi prebuerit numquam fraudabitur. Vale.

EPISTOLA XIX. Mercatellum.

FRANCISCO FABRO.

PAter tuus, qui naturæ ſatisfecit, illuc neceſſarij debiti me compulit, vt veteri tecum amicitiæ ſatisfaciam. Iſta, vt aliquid ſolatij in præſenti luctu tibi afferam, indicit: prudentia tua, quæ ætatem longiſſimè ſuperat, interdicit. Virtuti igitur oīum laudatiſſimę potiùs, quàm nō vulgari amicitiæ indulgebo. Nihil ſolatij afferam, & tamen amicitiæ partes non deſeram. Qui enim vtiliùs neceſſitati tuæ conſulam,

ſulam, quàm ſi te ad prudentiam tuam remiſero? Dum igitur ſolatio eges, à te ipſo, non ab alijs poſtulabis. Illud à me poſtula, vt quicquid tibi acciderit, mecum commune perpetuò exiſtimem. Iſtud tibi, nec etiã poſtulanti cõcedo; quod à te in nullam dubitationẽ adduci cognoſcam, ſi rebus meis, meque ipſo non ſecus, ac tuus piæ memoriæ pater, cùm vita fruebatur, vti volueris. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXI. Foroſempronium.

MICHAELI ANGELO ACTIO Protonotario Apoſtolico.

VTerque noſtrum iamdiù ſilentium colit, & tamen religioſiſſimo amicitiæ cultu non deſiſtit: non frequenti officiorum viciſſitudine, cùm illam occaſio non obijciat, ſed animo, qui mutuam beneuolentiam nihil interruptam exercet, ad maturam beneficentiam ſemper paratus. Silentij tui cauſam litterarum argumenti inopię adſcribo. Tu meum cauſæ non diſſimili ad-

adſcribas. Equidem amicos litteris non appello, niſi aut ab iiſdem prouocatus, aut illorum opera vtendi neceſsitate circumuentus. Nunc & litteræ, & neceſsitas certatim me ad ſtylum impellunt, quorum vtrumque à me. Illæ quippè quæ amicorum ſtimulis in lucem egreſſæ acutam oculorum tuorum aciem affectant; iſta, quoniam quicquid ab ingenio meo proficiſcitur, licet nullius pretij, attamen tibi omnium amiciſsimo cenſet impertiendum. Illud in cauſa eſt, cur epiſtolarum mearum Centurias ad te mittam, vt non ſolum officio meo, ſed etiã deſiderio tuo ſatisfaciam. Deſiderio tuo dixi, nec temerè. Is enim es, qui, cùm me non certè meritum, æquè ac te ipſum diligas, res meas non ſecus, ac tuas amantiſsimè complecteris. Bononiæ.

EPISTOLA XXI. Romam.

CLAVDIO ACHILLINO
In Ferrar. Gymnaſio Legũ Interp. Primario.

NOſtrì apud prẹſtantiſsimos viros memoria, æternæ memoriæ eſt commen-

mendanda. Illud ego de te libentiſsimè faciam: quicquid.n.deme cum Reuerendiſsimo Abbate de Sancto Petro meminiſti, ne omnium quidem lethei fluminis vndarum gurgitatione diluetur. Verùm quis perpetua memoria non ſeruet, & obſeruet amoris indicia à viro, cuius doctrinam, & ſapientiam Romana Curia nihil ob ſuì magnitudinem ſuſpicere conſueta, ſummoperè admiratur? Ego certè humanitatem tuam non admiror: potius veneror, quæ in omnes, & præſertim in me eximia quicquid beneficij ex proprio iudicio cõfert, in accipiẽtis merita collatum arbitratur. Pro amantiſsima à te mihi ſalutatione gratias agerem: ſed animi tui magnitudine, nominiſque Claudij notione perſpecta, os mihi claudere, ſilentium indicere videris. Ab illis igitur ceſſo, vt genio tuo liberaliſſimo ſatisfaciam. Is gratiarum actiones nõ admittit, dum quod clientibus inſumit, quæſtus, non ſumptus vocabulo appellandum exiſtimat. Bononiæ.

EPI-

EPSITOLA XXII. Bononiam.

IOANNI LVPARO.

O Sortem meam omnium certè infeliciſſimam! Quo magis me curis, & negotijs conor ſubducere, eo magis ingruunt, me in remotis adytis petunt. Vrbanis tumultibus, ac turbis iādiù defeſſus nūcium remitto, in amici villam nonnullos dies quietè abſumpturus concedo. Statim adſunt litteræ amicorum iuſſa afferentes. Iuſſa, quæ totum hominem expetunt, quoniam ſtylum requirunt. Stylum, quæ litteras promat gratulatorias ad Illuſtriſs. S.R.E. Cardinales nouiſſimè creatos. Cardinales iam inde Principes à natiuitate. Principes apud quos virtutis excellentia cum purpureę dignitatis faſtigio ęquali magnitudine decertet. Dum vitæ meæ conditionem habes, habes etiam, vnde rem tuam non adeò celeriter, quàm deſideras, curem. Cras mane in vrbem reuerſus, illam aggrediar, & quid omnino ſperandum, ſine fuco, ac fallacijs ad te ſcribā. Vale. Ex Villa,

EPISTOLA XXIII. Vrbinuanti CAESARI BONAVENTVRAE.

IN tam referta amicorum copia, quæ meritorum meorum inopiam excedit; ne vnuſquidem epiſtolarum mearum Cẽturias, quæ iam publicam lucem aſpexerunt, repræhendit: quin potius nemo non laudat, eo fortaſſe animo, vt alias quoque à me in medium extorqueat. Tu in ijs reſtim ducis, lucubratiunculis meis tantum tribuens, quantum ingenij, ac iudicij mei imbecillitas nequit ſuſtinere. Equidem plurimum amicis debeo, quia mea cauſa plurimum volunt, plurimum etiam efficiunt: ſed tantum de rebus meis fidei, quantum ipſi mihi nequaquam adhibeo. Catonianum illud omnium ore agitatum mente retineo, & obſeruo.

Plus alijs de te, quã tu tibi credere noli.

Qui ego ſim, optimè noui, optimè iudico: alij non ex me ipſo, ſed ex ſuo in me amore, qui eximius eſt, eximiè iudicant. Propterea illud ſuadere conantur, vt prioribus

litte-

litterarum Centurijs tertiam, & quartam adiungam. Suaſioni neque aſſentior, neque diſſentior. Non diſſentior, quoniam de editione cogito: non aſſentior, quoniam haud feſtinandum cenſeo. Annus non dum abijt, quo amicorum deſiderio morem geſſi; priores Centurias omnium communes feci. Res non parua eſt; ideò non paruo conſilio indiget. Conſilium à tempore, cuius beneficio omnia matureſcunt, præſtolabor. Interim non exiguas gratias ago & tibi, & alijs, qui adeò honeſta opinione me condecorare non deſiſtunt, vt quemuis ingenij mei partum publica luce dignum exiſtiment. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXIV. In Villam.

DOMINICO FELINO.

ILluc ergo adduceris, vt credas, me vini appiani, & peponum copia in villam mutuam adduci? Palato ſuauia proponis, animo iucunda omittis. Inuitet me tua, & aliorum, qui apud te ſunt, conſuetudo iucun-

cundiſſima. Inuitent me de re litteraria collocutiones inter vos, quibus animus oppidò nutritur, vtiliſſimæ. At noui, cur vinum, & pepones obieceris. Quoniam per iſta ſermo hilarior, & fœcundior agitatur. Enimverò.

Fœcundi calices quē non fecère diſertū?

Nunc re prudentiùs cognita, inuitationem amplius non accuſo; quin potius maximè laudo. Ea in medium affers, quæ homines diſertos faciunt. Ego nihil vnquam vehementiùs optaui, quàm diſertus fieri. Quocirca, ſi opus ſit, vrbem deſeram, non relinquam, tanti boni diutiùs expers ne viuam. Veniam, ſed ea lege, vt, qui inuitatus venerim, inuitus ne abeam, quamdiu libuerit apud vos maneam. Illud mihi à natura inditum ſentio, vt quò rogatus accedo, illinc nec etiam rogatus recedam. Bononiæ.

EPISTOLA XXV. Venetias.

ROCCO FIDELIO CORNIANO.

TV me ad iſtius vrbis, ſeu potius orbis delicias humaniſſimè inuitas, ego inuitiſ-

uitiſſimus renuo; ſed non ego: negotiorum renuit aceruus, qui me Bononiæ indies magis, magiſq; ue deprimit (parùm dixi) etiam opprimit. Indulge amico animi iucunditates, & oblectamenta, non ex animi deſiderio, ſed ex occupationum præſcripto, metienti. At iſtæ nunquam ceſſabunt, aut ſaltem remittent? Remiſerint, & etiam ceſſabunt, cùm ego à vita ceſſabo. Igitur hanc Ciuitatem, quæ primùm ab hoſpitibus inuiſa, pulcritudine ſua iterum inuitat, Venetias dico, adhuc ſuperſtes non adibis? Me aditurum non deſpero: quia ab occupationibus liberationem expeto, & expecto, quamuis cum vitæ ceſſatione ceſſaturas affirmarim. Iſtæ cùm primùm ceſſabunt, ego ad te venire non ceſſabo. Interim vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXVI. Mantuam.

LEONARDO ARRIVABENIO I.C. & Comiti.

QVia cum Tacito loqueris, ideo apud me taces? Non taceo, ſi ſcribo. Scri-

bis quidem, ſed à me ſcriptione rogatus, aut potius coactus. Scriptio tua, inquis, allicit, non cogit. At ego. Allicit ſolicitudines, & curas, quæ tamen animum nihil ſolicitent, ſed oblectent. Oblectatur animus iucundiſſima litterarum tuarum lectione, in quibus te Corn. Taciti ſtudio ſummis ingenijs digno addictum oſtendis. Illud conijcio ex quæſtione, de qua ſententiam meam requiris. Hominem adijſti iſtius auctoris amicum, ſed non adeò familiarem, aut neceſſarium, vt intima illius ſenſa aſſequatur. Multa tenebris obtexit, quæ Aquilinam aciem deſiderant. Iudicium, & ingenium meum noctuæ elucinationem potius, quàm Auium Reginæ perſpicaciam imitatur. Quæſtio fuit, num Gn. Piſo necis in Germanicum accuſatus, rectè iudicari maluerit à ſolo Tiberio, quàm ab omnibus Senatoribus, nonnullis cauſis impulſus; præcipua verò, quia nihil ambiguum, *vera, aut in deterius credita iudice ab vno faciliùs diſcerni: odium, & inuidiam apud multos valere.* Qui huiuſmodi cauſam, quaſi ineptam exiſtimant, non omninò ine-

pti

pti apparent. Quin contraria potius iudicanda. Vni faciliùs, quàm multis rei veritatem conſtare non affirmo. Potius nego. Plus certè vident, & intelligunt duo, quàm vnus. Odium verò, & inuidiam plus valere apud multos, quam apud vnum, ecquis in fidem admittat? Si facilius eſt vnum vincere, quàm multos, odium, & inuidiam plus valebit apud vnum, quàm apud multos. Ita quidem videtur. Sed non ita eſt: Videtur Tacitum raptim legentibus. Secus ſentiunt, qui auctoris verba in rectam iudicij trutinam ponunt. At enim ſi aliqua diſtinctione vtamur? Ea certè vtilis fuerit. Plus certè vident multi, quàm vnus in ijs, quæ animi affectiones non tangunt; ſed vbi animus afficitur, faciliùs vera cernit vnus, quàm multi, quia *Si cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt.* Diſtinguamus pariter de odio, & inuidia, vt iſtæ etiam tenebræ clareſcant. Odium, & inuidia concipienda plus quidem valet apud vnũ, quàm apud multos: ſecus verò concepta. Hæc plus valet apud multos, quàm apud vnum: quia faciliùs aſſequeris, vt odium, & inui-

M 2 diam

Digitized by Google

diam ponat vnus, quam multi. Propterea Gn. Piſo ſibi met conſcius, Senatorum in ſe voluntates coniecerat. Iſtos ſibi inuidos, & infenſos credebat, adeò vt magnum negotium fuiſſet illud impetrare, vt ſinguli aliam voluntatem induerent, odium,& inuidiam ponerent: quas prauas animi affectiones vnus citiùs relinqueret. Igitur prudentiſſimè Gn. Piſo à ſolo Tiberio, quàm ab omnibus Senatoribus prædicta de cauſa maluit iudicari. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXVII. Foroſempronium.

IVLIO BVSTIGALLO Foroſempron. Eccleſia Cathedralis Canonico.

SI amicum etiam, atque etiam commendas, vt beneficium accepturus, commendationem tuam non vulgarem fuiſſe intelligat, acquieſco: ſi, vt huiuſmodi arte ad beneficij collationem me adducas, non parùm iraſcor. Ad rhetoricam confugiant, quorum auctoritas nulla eſt: qui plurimùm

poſ-

poſſunt, vires ſuas otiari nõ patiantur. Tu, quanti apud me ſis, non ſemel expertus, ijs vocabulis vtere: fac, vade, veni. Verſatilem rotam me habueris. In amici negotio non alius fuero, nihilo ſegniùs, quàm ſi rès mea eſſet, curauero. Tu cura, vt valeas, & in amore æqualiter mihi reſpondeas. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXVIII. Domum.

IO. BAPTISTAE BARCELLINO.

QVæ ad ſummos viros pertinent, ex ſummis ingenijs petantur. Ego humi ſerpens illuc nequaquam attingo. *Paruum parua decent*. At enim ſoli Principes de magnis rebus loquantur? Quinimò ipſi magna cogitent, maiora conficiant. Priuati homines maxima loquantur; quippè qui loqui poſſunt; agere minùs coguntur. Si res ita eſt, te quæſtore, te auctore, de re maxima ſententiam meam aperio, hoc vnum Principibus toto animo excogitandum, omni labore, ac ſtudio exe-

quendum, vt honeſtiſſimam poſteris de ſe famam relinquant. Sic pereuntes non intereunt. Nomen, & fama immortalitatis compos æternùm viuit. Id ipſum cenſet Politicorum magiſter. Illuc te mitto. Illum ſi conſulas, reſponſum accipies. *Cetera Principibus ſtatim adeſſe, vnum inſatiabiliter parandum, ſui memoriam; nam contemptu famæ virtutes contemni.* O ſententiam politicam ſimul, & moralem! Illuc Principes aſpirent, illuc anhelent. Quãuis enim ſu rint, quod omnium commune eſt, tamen quod paucis datur, eſſe non deſierint. Vale. Ex Villa.

EPISTOLA XXIX. Foroſempronium.

IO. BAPTISTAE FRATRI.

SErenìſſimi Ducis noſtri caritatem audio, & licet me abſentem non attingat, quia tamen ciues noſtros fouet, nihilominus gaudeo, quàm ſi me ipſum foueret. Quis, rogo, nunciauit? Fama, quæ optimas in optimo Principe artes aliorum Prin-

Principum exemplo ſilentij lapide conſepultas nequit ſuſtinere. Profectò æquum fuit, vt famis in Italiam vniuerſam hoc anno ſæuiſſimè graſſantis oppreſſionem famã ipſa ad nos quàm citiſſimè deferret. Ciues noſtri opportunam à Principe beneuolentiam experiuntur: beneuolentiam, dico, nõ verbis fucatam, ſed rebus ipſis, quæ multos iacentes erigant, expreſſam. Caritas, quæ in Principe ſumma virtus eſt, ſummum prҽmium deſiderat: at Sereniſs. Franciſci Mariæ Fҽltrij de Ruuere caritas illud non deſiderat, quoniam frui cæpit: & quod fruitionis iucunditatem auget, cum parentum, & aliorum quoque applauſu, nè hilum certè ſimulato. Iam ſenex, cùm prolis cõfidẽtia decollaſſet, filium ſuſcepit. Hunc regiè educatum cùm Principiſſa Europæ totius primaria matrimonio coniunxit; ex ea iam grauida nepotem accepturum ſperat, quo vltimæ ſenectutis curas ſoletur. Quid mirum, ſi omnes ſubditi æternum Principis ſui imperium deſiderant? Imò quid mirum, ſi exteræ nationes amoris non inuidiæ ſtimulis concitatҽ conclamant?

Felices populi gemino ſub robore quercus.
Ego quidem huiuſmodi à Principe noſtro liberalitatem licet eximiam non admiror. Iſtam virtutem, quam peculiarem habet, in otio iacere numquam ſuſtinuit. Vt paucis expediam. Princeps eſt omni virtutum genere, in primis verò politica ornatus: vnde illud aſſiduè cogitat. *Cæteris mortalibus in eo ſtare conſilia, quid ſibi conducere putent. Principum diuerſam eſſe artem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda.* Vale. Ex Ædibus.

EPISTOLA XXX. Foroſempronium.

ANDREAE CARNEVALIO I. C.

QVæ mihi iam multos dies ruſticanti oblectamenta? Vnica venatio. O monſtrum! inquis. Cæſarius venationi addictus; qui eam cuiuſcumque generis auerſabatur? Venationem ſequor non leporum, quòd fortaſsè opinaris, ſed lepòrum. Illi ſunt pro palato, iſti à Plauto. Plautinos igitur lepòres, elegantias ſimul,

& ſales venor, quæ in vnum congeſta animum meſi aliquando abundantiſſimè enutriant, quòd certè nō faciunt, diſperſa. Iſtis operam nauo, iſtis diem contero, adeoquè oblector, vt vbi quatuor ſexuè horas contriuero, ne vnam quidem mihi videar exegiſſe. Vtinam tantum otij in vrbe libros euoluendi eſſet! Sed potius adeſt animarum cura, quæ à ſtudijs me abducit. Attamen in otij caritate litteræ magis caræ, magiſque iucundæ, quàm ſi tempus ad ſatietatem, aut etiam ad neceſſitatē ſuppeteret. Nihil enim adeò pretioſum, quod ſui abundantia non vileſcat. Vale. Bonon.

EPISTOLA XXXI. Ferrariam.

CAESARI MAZZOLINO.

QVàm facilè de alijs perperam ſentimus! Et ſi mihi obijcias: Quod de N. mihi perſuaſi, ab auctore luculento audiui; conſidera quàm luculentus auctor ſit teſtis auritus: imò conſidera, ne ipſi quidem oculo fidem adhibendam. Fal-

litur

litur oculus obiecti ſpecie, totum aliud, ac re ipſa eſt, videt: auris poſtea non decipiatur? Non credere malum eſt: ſed peius profectò credere. Qui non credit, ſui deceptor eſt: qui credit, ab alijs decipitur. Leuius eſt vulnus, quod nos nobis ipſis impingimus, quàm quod ab alijs accipimus. Sed, vt ad rem propoſitam redeamus, quod blaterones auribus tuis inculcarunt, in prudētiæ trutinam pone. Illinc facillimè cognoueris, famam ſæpè in mendacia propendere, multos, multa effutire: quorum origo, ſi diligenter inquiras, nullo veritatis fulcimento innixa, tandem aliquando corruat neceſſe eſt. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXII. Piſaurum.

FABRICIO HONDEDAEO.

ARtem muſicam olim amaui, olim laudaui, & exercui; vt amicis hanc ipſam toto animo conſectantibus gratum facerem, genio meo in illam valde propenſo indulgerem. Ad concentus conficiendos fre-

frequentiſſimè vocatus nunquam renui: imò compe lantibus gratias agere conſueui, vt potè qui animo meo obſequerentur. In otio illud ſummum negotium, hilares, canendo dies exigere. Illinc tanta animi iucunditas, & delectatio, vt quicquid aliud voluptatis animo obijceretur, apud me ſordeſceret. Nunc alia ætas alias ingerit curas. Temporum etiam mutatio genij mutationem aduexit. Quod olim amabam, nunc odi: quod laudabam, accuſo: quod exoptabam, auerſor. Si quis ad muſicam me appellat, ſcientiam diſſimulo, maloque illius artis indoctus haberi, quàm inuita exercitatione macerari.

Nã nihil inuita facies, dicesuè Minerua ait Poeta laudatiſſimus. Nunc nulla alia muſica, quàm cura Eccleſiaſtica. Hæc ſemper aures meas videtur verberare, ſemper aliquid pro animarum beneficio perquirere: vt in die nouiſſimo nihil à me requirat ſummus iudex, quem dum cogito, timeo, paueo, horreſco ad illa verba. *Redde rationem villicationis tuæ.* Hanc muſicam ſequor, aut potius illa me ſequitur. Hæc aſſiduè

duè detineor. Vnde ſacrum illud, ſed mœſtum iure merito licet vſurpare. *Verſa eſt in luctam cythara mea, & organum meum in voces flentium.*

EPIST. XXXIII. Foroſempronium.

BENEDICTO PASSIONAEO.

DE more ſtatuas Principibus erigendi, non eadem omniũ opinio. Alij laudant, quòd ſubditi gratitudinẽ animi in demortuos Principes oſtendant, illorum abſentium, non ſecus, ac præſentium memoriam venerentur, ſucceſſores huiuſmodi honore ad optimam, & laudabilem adminiſtrationem erigantur, inflammentur. Alij contra improbant, tamquam manifeſtum in multos adulationis indicium. Singuli enim Principes, licet non eiuſdem meriti, eundem nihilominus honorem taciti affectant. Subditi verò cum illorum voluntatem nutu ipſo cognouerunt, nullo diſcrimine meritorũ habito, idẽ omnibus decernunt, magniq; Alexandri ea in re modeſtiã appel-

appellat, qui neque pingi, neque fingi paſſus eſt. Præterea Tiberij exemplum ab iſta re non longè alienum in medium afferunt. Is Imperator, cùm vlterioris Hiſpaniæ Legati orarent, vt illi, ac Liuiæ matri, exẽplo Aſię, delubrum extrui liceret, poſt multa reſpondit, quæ pro optimo Principe, nõ pro Tiberio eſſent. *Ego me P. C. mortalem eſſe, & hominum officia fungi, ſatiſq́; habere, ſi locum principem impleam, & vos teſtor, & meminiſſe poſteros volo, qui ſatis ſuperq́; memoriæ meæ tribuent, vt maioribus meis dignum, rerum veſtrarum prouidum, conſtantem in periculis offenſionum pro vtilitate publica non pauidum credant.* At. n. quid hæc ad rem propoſitam? Vt tibi videtur, nihil certè. Sed quod reliquum eſt, audi, & eiuſdem Imperatoris prudentiam, atque animi æquitatem admirare. At iſta prudentia, & animi æquitas non vera, ſed fucis vndequaque obtecta. Ob id tamen admirare: quia publicis perſonis ſimulatio quàm maximè neceſſaria, vt ſingulorum genijs inter ſe non parum aduerſantibus genium ſuum accomodent. Reliqua reſpon-

ſponſionis huiuſmodi ſunt. *Hæ mihi in animis veſtris templa, hæ pulcherrimæ effigies, & manſuræ.* Sed ne temerè locutus videretur, quippè qui ne verbum quidem inconſultò proferebat, eorum, quæ dixit, rationem ſapientiſſimam adiunxit. *Nam quæ ſtruũtur, ſi iudicium poſterorum in odiũ vertit, pro ſepulcris ſpernuntur.* O voces Traiano, non Tiberio dignas! quarum intimam, ſed tamen diuturna experientia ſatis clarè apparentem veritatem ſi inſpicias, quænam potior ſit de quæſtione ſententia, facillimè conſtabit. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXIV. Anconam.

HIERONYMO FERRETTIO I. C.

GEnius tuus ludum auerſatur, & tamen non vnis, ſed iteratis litteris de ludo ſermonem habes? Si ludum amas, ego amicitiam tuam amplius non amo. Ludum certè amas, & ludis; ſed cum auctoribus, qui opportunè luſus meminerunt. Imò non ludis: cum illis potius ſerio agis, qui

qui intima illorum ſenſa perſcruṭaris. Verſus, qui tibi legenti occurrerunt à Plauto ſunt Curcul. ac. 2. ſc. vlt. in quibus ne allucineris, illud ſciendum, annulos in tãto pretio fuiſſe apud antiquos, vt, ſi quis pecunia carens annulum ſuũ poſuiſſet, annulus fideiuſſoris locum haberet. Huiuſcè conſuetudinis plurima adſunt teſtimonia, quæ breuitati ſtudens prætermitto. Vnum tamen accipias, quod eſt apud Poliænum auctorem ſtratag. lib. 3. vbi narrat, Timotheum Ducem in Atticis caſtris, pecuniæ inopia laborantem eò mercatores compuliſſe, vt annulo ſuo ſignatorio numiſmatis loco vterentur: mox cum adfuiſſet argentum, conſtitutum pretium creditoribus perſoluiſſe. Igitur dùm Curculio ait:

Prouocat me in aleam, vt ego ludam; pono pallium,
Ille ſuum annulum oppoſuit

indicat, ſe ad luſum alearum prouocatum, pallium, pecuniæ loco, poſuiſſe, prouocantem verò oppoſuiſſe annulum non pro pretio, adeò, vt annulus pallij pretium æquipararet; ſed pro ſponſione, ſe quicquid damni

mni ludendo feciſſet, ſoluturum. Hinc annulus dici conſueuerat fideiuſſor extremæ voluntatis, quod etiam videntur aperire ſequentes verſus.

Talibus à Dominis poſt cuncta nouiſſimus exit
Annulus, & digito mendicat pollio nudo.

Sed ne verba ad prolixitatem mihi fortaſſe delectabilem videar mendicare, clauſulavtor, iſtamq. in aſſiduo ſtudio voluntatem tibi perpetuam precor. Vale. Ex Villa.

EPISTOLA XXXV. Foroſemproniũ.

LVDOVICO BENTIVOLO I. C. Foroſempron. Eccleſiæ Cathedralis Canonico.

Ergo felicem me appellas, quod amplius non ſeruio? Si hoc nomine felicem me iudicas, infeliciſſimus ſum. Olim vni, aut paucis eiuſdem animi, eiuſdem voluntatis, nunc multis ſeruio; quorum ſententiæ non eædem: quinimò inuicem diſcrepantes, adeò, vt quod alter probat,

alter

alter omninò aucrſetur. Iam ſtatis horis, nunc aſſiduè ſeruio, ne momento quidem libertatis beneficium agnoſco. Corporis labor nullus, aut certè paruus. Verùm quid prodeſt, ſi animi angor plurimus, & maximus? Hinc tanto magis affligor, exagitor, quanto animus, corpori nobilitate anteuertit. Equidem ea re felicem me iudico, quia nihil affecto, nihil ambio. Quicquid ſupra me eſt, non ſuſpicio: ideo me nequicquam mouet. Parua ſatis mihi faciunt; quia in paruis quietem inuenio. Hanc mihi neque arripi ſinam, neque ſubduci, vt re magis, quàm verbo felicem me cenſeant, qui felicem deſiderant. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXVI. Foroſemproniũ.

OCTAVIO RODVLPHIO I. C. Foroſempr. Eccleſiæ Cathedralis Canonico.

NOui te amicum (ecquis diffitetur?) & hac de cauſa in mei laudes propẽsũ. Igitur nullam tibi iniuriam affero, ſi tãtam laudum copiam reijcio. Quod meum

Digitized by Google

non eſt, mihi non arrogo. Iſtæ laudes meę non ſunt, quia meritorum meorum tenuitati non debentur. Tu verò: quid ſi dono? Donum, & beneficium idem profectò eſſe exiſtimo. Beneficium (vt cum iuris peritis loquar) non confertur in nolentem. Ego laudes nolo. Ergo ne conferas. Nolo, non quòd eas deſpiciam, imò quia plurimi facio, & longè ſupra me eſſe intelligo, ob id audaciſſimus recuſo. Profectò voluntatem gratiſſimam mihi affirmo, pro qua tantum tibi debeo, quantum perſoluere difficillimum eſt. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXVII. Forolinium.

MANFREDO MALDENTIO I. C.

Minimæ rei petitio tantam à te verborum copiam petiuit? Tu vel de meritis erga me tuis, vel de me erga te beneuolentia deſperas: Vtrum ex iſtis ſit, à recta ratione, & æquitate longiſſimè diſtas. Tuæ erga me beneuolentiæ plurimum debeo, & nihilominus volo: adeò, vt ſi qua in re opera

ra mea indigebis, ſatis fuerit indigentiam aperire. Iſtá, quæ interdum oculis latet, ſi animo meo appareat, libentiſſimus reſerabo, vt beneficij collatione magis occludam, quin opprimã, ne amplius publicam lucem aſpiciat. Huiuſmodi verborum congeries, licet non ſatis appoſitè digeſta illud tibi exploratè poteſt polliceri, me nihil ommiſſurum, quo N. re ipſa intelligat, amicitiam noſtram iamdiù illuc deueniſſe, vt alter alteri gratum faciendi occaſionem ſtudioſiſſimè perquirat, ne dum fortunæ beneficio oblatam prætermittat. Eamdem voluntatem ſemper enutriui, eandem, quicquid eueniat, ſeruabo. Fortuna vires augere poteſt, aut imminuere. De voluntate neutrum omninò poteſt. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXVIII. In Villam.

VIRGILIO BLANCO PHILOSOPHO in Bonon. Archigymnaſio Medicinæ Profeſſori.

FAmam viri ſapientes ſæpè mendacem credunt, neque decipiuntur; in ijs præ-

ſertim, quæ maxima ſunt. Ecquis hodie inani quadam cupiditate impulſus Principum arcana, licet in tenebris ſepulta, coniectari non conatur? Sed ecquis rogo, aſſequitur? Iſta ſilentium, iubente maieſtate, occludit adeò, vt nullius obtutui pateant; niſi cui amor liberaliſſimus reſerauit. Ego verò affirmem, quæ iſtic (vt ſcribis) multorum ſermone agitantur? Imò famam omninò mendacem reor, quoniam ne vnus profectò, qui rectè ſapiat, apud nos loquentem audio, licet iſtic ſermo in dies magis, magiſque augeatur. Sed nihil mirum. Vertuntur tempora, non mutantur. Eoſdem terminos in gyrum attingunt, eadem ſemper afferunt. Redijt Romanorum ætas, de qua Tacitus. *Adeò maxima quæque ambigua ſunt, dum alij quodam modo audita pro compertis habent; alij verò in contrarium vertunt, & gliſcit vtrumque poſteritate.* Idem acciderit de iſto negotio, cui ſilentium magis debetur, quàm eloquium. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA XXXIX. Domum.

PETRO ANTONIO BECARINO.

SI fortuna mihi daret, vt amicorum poſtulatis vires ſuppeterent, nihil deſiderio meo nõ ſuppeteret. Verùm, quia non poſſum, quod volo, amici velint, quod poſſum. Iubeant, quod volunt, dummodò vires meas, non amoris, ſed veritatis regula metiantur. Illarum ratione habita, voluntati, quæ ſummum faſtigium attingit, acquieſcant. Hoc tibi dictum tribuas, qui mihi minimum tribuis, dum nihil non licere arbitraris. Amicorum cauſa omnia libent, non omnia licent. Iubeas igitur, quod mihi licet, vt accipias, quod tibi libet. Illud fuit in cauſa, cur adhuc ſatis deſiderio tuo non fecerim. Culpa igitur in vires, non in voluntatem retorquenda. Culpa tamen adeò leuis, vt largam mereatur indulgentiam. Vale. Ex Ædibus.

EPISTOLA XXXX. Romam.

ALEXANDRO DE S. PETRO.

Diuturnam Grappi inualetudinem telines, nunc inualetudinis finem accipias. Nudius tertius, qua hora ipſum ex aluo materna in lucem accepit, eadem lucis Conditori reſtituit. Volentem, inquis, aut violentum? Volentem animo, violentum morbo. Morbus in lectum deiecit, animus in Deum erexit. Lectus afflictum accepit: Deus illum afflictionibus exuit. In lecto, quaſi in arena cum ægrotatione hoſte iniquiſſima pugnauit, in Cœlo de ipſa ægrotatione triumphum agit. A morte igitur neutiquam ſublatus, ſed magis in vitam translatus? Ita quidem. Quinimò lethali vitæ ſurreptus, letho vitali donatus. In lucem editus viuere cæpit; luce orbatus iam mori deſijt. Propterea illius mortem ne doleamus, ne dum ipſe æterna requie laborum, quos diù ægrotus, animo tamen nō ægro ſuſtinuit, mercede lætiſſimus fruitur: nos lacrymis, præter æquum, & hone-

ſtum

ſtum inofficioſam operam demus. Potius conemur ad optimi adoleſcẽtis exemplum vitam inſtituere, vt cum optimo adoleſcente, Deo coniuncti æternum viuamus. Bononiæ.

EPISTOLA XXXXI. Romam.

TROILO FRANCISCHINO
Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Cardinalis Caetani Bonon. de latere Legati à Secretis.

SÆpius accidunt, quę minus ſperes, quã quæ anxius expectes. Vbi ego te viſurum ſperarem? in patria? illam iamdiù abdicaui, non quòd illa mihi exoſa fuerit, aut ego illi: ſed quoniam nulla ibi ocium fugiendi occaſio. In Curia Romana? Iſtam à limine ſalutaui ſimulandi, ac diſſimulandi artibus, quas illa deſiderat, nihil aptus. Et tamen breui te videro in hac vrbe nobiliſſima, quæ mihi altera patria, quòniam hic bona omnia: quæ mihi altera Roma, minima littera minùs, quàm Curia, nemp:

cura Eccleſiaſtica. Lætor igitur te quàm primùm viſurus, & eo magis lætor, quòd videro à ſecretis Illuſtriſs. Cardinalis Caetani de latere Legati. Videro apud Principem fama laudatiſſimum, cui Gregorius XV. vt Pontificatus ſui ingreſſum nobilitaret, purpuream dignitatem nullius rogatu, proprio iudicio, ſummi viri meritorum conſcio lætiſſimus detulit. Vtinam is ego ſim, qui lætitiam animo conceptam, litteris expreſſam, rebus aliquando valeam comprobare. Hæc enim tantum additamenti accipiet, quantum tibi viro omnium amiciſſimo prodeſſe intellexerit. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXXII. Lucam.

TEGRIMO TEGRIMIO Lucenſis Eccleſiæ Cathedralis Archidiacono.

QVæ nobis cara ſunt, aſſidua noſtri præſentia fiunt cariora. Claudius fratris tui filius virtutum cogni-

tione

tione non minùs, quàm agnatione tibi cariſſimus, poſt longam ſtudiorum agitationem, iſtuc rediens tibi carior fuerit. Quicquid de illius honeſtiſſimis, ac ſuauiſſimis moribus ſuperioribus litteris ſum atteſtatus, per præſentes ratiſſimum habeo. Nunc addo, nihil mihi gratius futurum, quàm ſi ipſe Claudius rebus meis, quin me ipſo omnibus locis, temporibus omnibus vtatur: quoniam, quamdiù apud me fuit, his omnibus modeſtiſſimè vti voluit. Hanc virtutem inter ceteras, quæ in illius animo eniteſcunt, ſummoperè laudo, quoniam ſummo eſt iuuentuti ornamento. Si ego nullo alio nomine gratiam tuam meritus ſum; eo certè mihi debetur, quia Claudij tibi gratiſſimi ſeruitio, & obſequio addictus fui: & ſi parum effeci, illius modeſtiæ, vitiumque mearum tenuitati aſcribe. Ille, quod iubere potuit, recuſauit: ego, quod non potui, ne voluntatis propenſio deeſſet, exoptaui. Tu, qui ætate, & rerum vſu plus, quàm fratris filius noſti, animum meum, quæſo, Tegrimiorum familiæ addictiſſimum noſcas. Notionis indicium

præ-

præbeas, tuam in me auctoritatem, liberè, ac liberaliter exerceas. Iſtud ſi feceris, ſeruitium meum, vel tenue, tibi non ingratum declarabis. Bononiæ.

EPSITOLA XXXXIII. Bononiam.

BERNARDINO FERRARESIO I. C. in Bonon. Archigymnaſio Inſtit. Profeſſori.

EA eſt Aulicorum fortuna, vt quo impenſius Principis commodo, ac dignitati inſeruiunt, eo minùs rebus ſuis, quin ſibi ipſis proſpiciant. Iſtud, quicquid vitij eſt, non Principis, ſed potius ætatis, cuius mores inſynceri, & corrupti, adeò vt nullum tanta prudentia ornatum videas, qui, niſi velit in ſeruitio claudicare, non multum odij, & inuidiæ in ſe conciat. Exẽplum recens patet, huiuſcè veritatis, quæ nunquam fallit, experimentum. Tutius certè Aulam eminus venerari, & colere, quàm cominus inter labores, & ærumnas exca cultum, & venerationem aucupari.

Non

Non pauci ſeruiunt, qui, cùm poſt multos exantlatos labores ſibi ſeruiri ſperant, in ſeruitio miſerrimi pereunt. Pereat ſtatim, vt in me natum fuerit, ſeruiẽdi deſiderium. Nolo mihi ſeruiri, neq. volo ſeruire. Illud nõ omninò miſerũ non eſt, quia, *quot ſerui tot hoſtes*. Iſtud mera miſeria eſt: vnde rectiſſimè Plautus:

—— quem Iupiter odit, ſeruum hunc primum facit.

Vale. Ex Villa.

EPISTOLA XXXXIV. In Villam.

RODVLPHO CAMPEGIO COMITI.

ILluſtriſſimi Cardinalis Belarmini obitus in nullam dubitationem eſt adducẽdus. Adſunt curialium litteræ: adſunt nuncij de ea re conſtantiſſimè affirmantes. Addunt paucis diebus antequam diem ſuum clauderet, ſummum Pontificem per internvcium adijſſe Cardinalitię dignitatis abdicationem exoraturus. Pontificem renuiſſe, quippè qui prudentiſſimus intelligeret, illud

illud, quicquid fuit honoris in viro moribus integerrimis, & doctrina ſingulari magis, quàm ipſa purpura nituiſſe. Manibus plaudunt hæretici, Romanæ Eccleſiæ columnam corruiſſe. Certè non corruit. Supræmi architecti iuſſu in cœleſtis Hieroſolymæ ornatum, & decorem tranſlata eſt. Quid igitur tanti Principis à nobis diſceſſum lugeamus? Eſt potius, cur magnoperè lætemur, non vt cum hæreticis ſentiamus: imò vt illorum ſententiam execratione dignam deteſtemur. Quamuis enim nobis ægritudine animi oppreſſis Cardinalis videatur ammiſſus, ſi tamen ad veritatis regulam negotium reuocemus, ex ærumnoſo carcere ad vitam malorum omnium expertem cenſebitur dimiſſus. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXXV. Domum.

PETRO POTERIO Philoſopho, & Medico.

O Amplam laboris mercedem! paucis verbis, quæ in tui laudem, aliorum ſuaſu,

ſuaſu, veritatis quidem impulſu conſcripſi, tanti viri amicitiam auro contra, prudentiſſimorum iudicio, æſtimandam reportaui. Berniæ laudes, & gratiæ, qui me tanto honore cumulandi occaſionem prębuit. Omninò ſummis viris benedicere, ſumma laus, ſumma vtilitas eſt. Vtramque ex te (Poteri) percipio; hoc tantum triſtis, quòd tuarum virtutum præſtantiam ex viribus meis potius, quàm ex tuis meritis laudauerim. At quis ex meritò te laudet? Nullus ſtylus adeò acutus, vt illuc valeat penetrare. Meus certè illuc penetrat, vt Poteri cognomen nòn temerariũ, ſed quòd medicinæ ſcientia omnia poſſis, à Cœlo inditum declaret. Illud Pharmacopeia Spagirica, optimè declarat, quæ plurimos homines Orco abs te ereptos legentibus oſtendit. Ex Ædibus.

EPISTOLA XXXXVI. Bononiam.

HERMETI MANZOLO.

MEam de Orimbello ſententiam requiris? Sentio, quod viri docti, quod

quod ſapientes, licet à doctrina, & ſapientia longiſſimè abſim. Dum facundiam magnoperè admirarer, res ipſæ, ſtylus puriſſimus, ordo nihil interruptus, colores rhetorici, ars maxima, ſed maximè latens animum vehentiſſimè afficiebat. Verum quò ruo? Tanti viri laudes in præſentia breuiter recenſeam, quæ dies ipſos meritò exigerent? Si laudandum cenſeas, ne virtus debito ſibi præmio fraudetur, illud laudum ſummam attingat, in Societate Ieſu nomen dediſſe, vbi violare Focilidis præceptũ, religio execranda eſt.

Quã quiſq. norit artẽ, in ea ſe exerceat.

Vale. Ex Villa.

EPISTOLA XXXXVII. In Villam.

MARCO ANTONIO DE S. PETRO.

ISTius Villæ delitijs adeò delector, vt vnica illius memoria ad aliciendum ſufficiat. Ne me igitur inuites, ne tuæ liberalitati, quæ ſingulis horis inuitat, iniurioſus appareas. Non inuitatus, ex genio meo;

cum

cum inuitatione, ex tuo accedam. At genius (inquis) meus nunquam non adeſt: Non diffiteor, & gratias ago: Sed facultas ſæpiſſimè abeſt, quam & publica, & priuata negotia mihi arripiunt. Vt iſta ceſſabunt, ego venire non ceſſabo, iſthic tamdiu commoraturus, donec ruſticandi faſtidium me teneat. Sed quando (optime Deus) tenebit? Ea eſt iſtius agri amœnitas, vt (liceat cum Symmacho loqui) *dum plus viſitur, plus ametur*. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXXVIII. Firmum.

FRANCISCO GRATIANO.

SI à te litteras deſidero, rem profectò nō magnam deſidero. Alij res ipſas, & frequentes poſtulant; mihi verba, neque adeò multa ſatisfaciunt. At tempus ſcribendo non ſuppetit, vel nihil auribus tuis dignum occurrit. Hæc ſtylo à te materiam præſtent; hiſce ſtylus liberalem ſe præſtet, quibus ſi inſcriptio accedat, ac ſalutatio epiſtolam ſatis longam iudicabo. Ex Villa.

EPI-

EPISTOLA XXXXIX. Firmum.

ALBERTO ALTVOCOMMANDO.

TV mihi ſententiam meam optimis rationibus tuenti nihil aliud reſpondes, quàm conſilium mutare ſummæ prudentiæ eſt. Illud non diffiteor; ſed conditione appoſita, intelligendum exiſtimo. Si negotium aliam temporis progreſſu faciem induat, nos pariter aliud conſilium induamus: rebus ſemper iiſdem, idem quoque menti adhęreat conſilium. Ego igitur ſententiam non muto, quia nulla mutationis adeſt occaſio. Quamobrem tu potius animum tuum muta, & me aliud, alio etiam tempore, ſenſurum deſpera. Bononiæ.

EPISTOLA L. Vrbinum.

FRANCISCO PALTRONIO.

ILluc me appellant diſertiſſimæ litteræ tuæ, vnde genius meus longiſſimè refugit. Cur iterum memorem, quæ ſemel iam

iam ſcriptis mandata lacrymas ab oculis conciuerunt? Nunc in portu eſt animus. Nunc optata fruitur tranquillitate. Si viã iterum in altum capeſſat, dolorum ventis huc illuc agitatus in ſcopulos, & ſyrtes naufragus allidetur. Me in iteratam ægritudinis acerbitatem, obſecro, ne immittas: quod facere videris, dum huiuſmodi petitorias litteras mittis. Si miſerias meas iteratò audire deſideras, vt illinc dolorem haurias, ex dolore, quem mecum tibi communem facis, amicum animum oſtendas. Satis amicum, & amantem te cognouero, ſi curis, & ærumnis, quibus afflictabar, nunc me exemptum gaudebis. Ego namque magis lætor, à me angores abijſſe, quàm triſtatus ſum, cùm non mea, ſed amicorum culpa in angores abij. Vale. Ex Villa.

EPISTOLA LI. In Villam.

MICHAELI ANGELO FRATRI.

SAle conſperſas vidi litteras tuas, licet ruri ſcriptas; in quibus quæſtionem

O affers

affers de ſaliua Mercuriali. Te iſti Mercurio, qui negotium faceſſit, pro viribus meis auferam. Igitur hoc age. Saliua Mercurialis nihil aliud ſignificat, opinor, niſi diuitias eo vocabulo nuncupatas, quoniam ſuperſtitioſa antiquorum religio Mercurium diuitijs præeſſe fatebatur. Illud multi authores affirmant, in primis Comicus meus, qui in Prologo Amphitruonis Mercurium auditores ſic alloquentem fingit.

Nam vos quidem id iam ſcitis conceſſum, & datum
Mihi eſſe ab Dijs alijs, nuncijs præſim, & lucro.

Ad hanc rem apprimè videtur facere carmen illud Perſij Saty. v.

Nec glutto ſorbere ſaliuã Mercurialem.

Vbi per ſaliuam Mercurialem indicat diuitias. Et quoniam ſpiſſum eſt vocabulum illud (glutto) ne aqua tibi hæreat, ſcias, gluttum eſſe partem colli, qua cibi in ventrem commeant. Deducitur à voce glut, quod eſt imitatio ſonus, quem edit liquor per anguſtam gutturis viam deſcendens. Illud apertiſſimè docet vetus Poeta de ruſticò

ebrio,

ebrio, dum ſic canit.

Percutit, & frangit vas; vinum defluit, anſa
Stricta fuit: glut glut murmurat vnda fluens.

Et ſi libeat lingua vernacula exprimere illas voces *glut glut*, proprijſſimè dicam *clo clo*, quem ſonum vaſa anguſtiora, vnde vinum hauriás, emittere, quotidiano vſu edocemur. Sed vide, quam celeriter a Mercurio ad Bacchum. Is ne diutiùs vinulis ſuis me detineat, finem facio, vtque in eiuſmodi ſtudio alacriter pergas, rogo. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA. LII. Bononiam.

ANTONIO RONCOO
Tertij Ordinis S. Franciſci.

AMicorum, qui veri ſunt (licet pauciſſimi ſint) iudicio tantum defero, vt facilè mihi ſuadere patiar tertiæ, & quartæ epiſtolarum mearum Centuriæ editionem. Tu in ijs non ſemel auribus meis inculcaſti,

me litteratis viris cumulatè ſatisfacturum, ſi prioribus Centurijs alias adiungerem, vnde volumen ingentius factum, ingenij mei partus auidè legentium manus impleret. Si iſtas eadem, qua priores, vti fortuna intellexero; ego non alio conſilio vtar, quàm vt quicquid huius generis ſcriptionis apud me habeo, in publicam ſcenam proferam, communes omnium faciam: vnde niſi aliud, hoc certè aſſequar, ne in tanto pretio res meas habere exiſtimer, vt illas nemini impertiendas cogitem. Ex Villa.

EPISTOLA LIII. Fanum fortunæ.

IOANNI FRANCISCO AMIANO.

NE doleant, qui de re ipſi Conſiliario ignota conſilium petunt, ſi pro accommodata reſponſione ſilentium accipiunt. Num vxor ducenda ſit, interrogentur, qui vxorios mores aliquando experti ſunt, quoniam experientia magiſtra rerum doctiſſima. Non adeant Presbyteros, qui Canonum præceptis mulierum contubernio

nio prohibentur. Igitur amicus tuus aliam quercum excutiat, ſatis deſiderio ſuo facturus. Ego ea de re quid loquar, ignoro: Ignarus conſilium præbeat? Potius accipiat. Si inſcitiam cauſatus, conſilio afferendo te ſubtrahis, tuam de huiuſmodi re opinionem ne ſubtrahas. Amici ſententiam laudo, dum aiebat. Qui optimam vxorem duxit acerbè, qui non talem, acerbiſſimè cruciatur. Amicus de mulierum qualitate Comico adhęreat, qui illud memoria retinendum ſcriptis mandauit.

Optima nulla poteſt eligi.

Ex Ædibus.

EPISTOLA LIV. In Villam.

ANDREAE BANDERIO.

ANimi mei huc illuc iã diù agitati cauſam rogas? Te ipſum magis interroga. Tu amicus omnium cariſſimus conſiliorum meorum compos illam æquè, ac ego, nouiſti. Verùm ſi quæris, vt ærumnas meas iterum, atque iterum audias: ego à te

quęro; quo amor in me tuus abijt? Quo me potius miſerijs eximendi, quàm ipſarũ narrationem ſæpius audiendi voluntas diſceſſit? Si calamitates recenſeas viro tui amantiſſimo, cui optime innotuerunt, vnde auxilium expectas, dolorem ſæpè, & lacrymas, quæ nihil proſunt, excipis. Animi mei agitatio lætitiam magis, quàm mærorem ad ſui valetudinem deſiderat. Quinimò animi agitatio nõ aliundè, niſi à mœrore. Illinc ſi me extraho, Rex certe ſum. Rex inquam mei ipſius. Sine iſto regno regnum ſeruitus mera eſt. Igitur iſtud regnum deſidero. Cetera, quaſi cœnum, quaſi nihil, deſpicio. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LV. Romam.

VINCENTIO DE S. PETRO ABBATI.

De noſtro Vgolino nuncij nihil læti. Vnus caſus acerbitate vnicus duos fratres, fratriſque vxorem ſimul ferro inter ſe necatos abſtulit. Caſus ordinem, vt habeas lege, & communis amici fortunam dole.

le. Alter ex fratribus oculis captus (cuius Cacodęmonis ſuaſu neſcio) in alterius fratris ædes noctu per ſpeculam, quo nullus licet oculatiſſimus accedere auſus eſſet, gladio, & ſecuri munitus, vt Caiminæ impietatis exemplum in medium reuocaret, audaciſſimus penetrauit. Frater cùm non nihil ſtrepitus percepiſſet, ò coniux (ait) ſurge, à Vulcano lumen pete, vt quicquid domi turbatum ſentio, oculis innoteſcat. Coniux obſequens, actutum ſurgit. Cæcus fratrem ſurrexiſſe ratus, mulierem altera manu appręhendit, altera ſecuri vehementiſſimè petit. Illa in vulneribus, me miſeram clamat, quæ deartuor, euiſceror, orco demittor. Actutum vir eius cubitu exiliens accurrit, vt vim ab vxore prohibeat: iſtam in ſe ipſum deriuat, ab ipſo fratre, qui vulnerando Argus, aut Lynceus videbatur, gladio perfoſſus. Attamen non perijt, antequam de fratre ſupplicium ſumat, quem ſecuri extorta, pluribus ictibus feriens conficit, & non multò poſt ſacramentis ſanctiſſimis Eccleſiæ munitus migrat è vita, cui dulciſſima coniux comes adiungitur. Quo

O 4 ani-

animo huiuſmodi caſum diabolica fraude, incredibili ſæuitia refertum acceperit Vgolinus, tuum ſit iudiciũ. Litteris per certum nuncium delatis, equum citiſſimus conſcẽdit, Suſanum accedit, alterum fratrem iam oculis, tunc vita miſerrimè orbatum, alterum ad vltimam vitæ lineam vna cum vxore deductum videt. Illius animum, qui apud inferos nunquam interiturus perijt, iſtorum animas ad mortem per vulnera properantes miſeratur. Fratris filijs condolet: illis ſolatium allaturus, curam, & operam ſuam pollicetur. O pollicitatio dura! quam pia neceſſitas extorquet, conſanguinitas duriorem, defunctorum memoria duriſſimam facit. Non multis ab illinc diebus Vgolinus Bononiam venit. Ego illũ inuiſo non minùs mœrentem, quàm caſus acerbitas poſtulat. Vt me videt, ſuſpiria, & ſingultus edit, verba officioſi à caſu doloris indicia excipit. Diuinæ voluntati obtemperandum reſpondet, illud conſtantiſſimè addens: duos fratres, & fratris vxorem infelicisſimè amiſi, non diffiteor: verùm quod à Deo eſt, æquo animo patior.

O in-

O inuictam patientiam ſexcentis paginis commendandam! Caſus certè acerbiſſimus miſerationis, Vgolini firmitas viro digna admirationis affectum apud omnes exſuſcitet: præſertim verò apud te, qui Vgolinum vnicè amas, vnicè diligis, & ab eo te multum diligi, non ignoras. Vale. Bonon.

EPISTOLA LVI.

AMICO CVIDAM.

QVod nouiſsimis litteris tibi viro amiciſsimo ſuadebam, arduum profectò, ac difficile; ſed eo magis amplectendum, quoniam pulchrum, & honeſtum. Propterea quicquid difficultatis eſt, in perpetuam iucunditatem conuertatur; adeo, vt ſuſcepti laboris, & ſudoris te nihil debuerit pœnitere. Imminentem iucunditatem non vides, quæ ſi ſemel tantum oculis obijceretur, nunc rei difficultatem non timeres. Verùm quid, obſecro, times? Nihil omnino timendum.

Vt redimas corpus, ferrum patieris, & ignes,

Vt valeas animo, quicquam tolerare negabis?

At incipere poſſum; ſed nulla ſpes adeſt perfectionis. Ecquis iſtud tibi exploratè valeat polliceri? Antiquum illud reminiſcere. *Facientes Dÿ adiuuant*. Incipere à nobis eſt, perficere (ſic Sapientes Ethnici monent) à fato. Tu, quod tuum eſt, ne deſeras, quin audacter incipias. Deus, qui oĩa poteſt, aderit feliciter cœptis. Omninò negotium huiuſmodi eſt, vt prudentiſsimum illud memoria retinendum ſit, ſed re ipſa magis obſeruandum. *Suſtine, & abſtine*, Si iſtis duobus pedibus ambules, viam fortunatiſsimè confeceris, improborum aliena voluptate dolentium inuidiam fregeris. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LVII. Bononiam.

ANTONIO ARISTOTELI.

SI affinium, amicorumuè obitum dolemus, quòd nimium breuis fuerit illorum vita, tu certè hac de cauſa patrem tuum,

um, qui ferè octogenarius obijt, non plorabis. Quinimò (ais) hoc magis plorabo, quoniam illa ætas multarum rerum experientia, & vſu erudita plurimum mihi, meiſque fratribus conſilio, & prudentia profuiſſet. Fateor, quia vel ad vltimam ſenectam deductus, optimè ſentire, optimè ſapere conſueuerat, & quamuis corporis vires illum defecerint, virtus tamen animi nihil defecerat. Sed quoniam, qui hiſcè temporibus LX. annum attingit, longam ætatem videtur attigiſſe, pater tuus longiore vita functus, nihil de ſuo reliquit, quin potius aliquid ſupra eſt aſſecutus. Cùm res ita ſit, fingas, eũ viuere, fingas, te amanter alloqui, amantiùs (vt ſolebat) monere. Quæ i[illegible]m ſuperſtes conſilia ſapientiæ plena præbebat, tibi in mentem reuoca, diligenter obſerua. Sic pater tuus naturæ, tu nati officio cumulatè ſatisfeceris. Ille, qui iuſſus abierit è vita; tu, qui patris conſilia ſæpius excepta non dedic eris. At enim doleo, totius familiæ curam patris ex hac vita migratione, in humeros meos demigraſſe. Igitur doles, quòd patri tuo opem feras?

Tu

Tu primogenitus domui tuæ debes, quod patris tui morte illi deeſt. Nihil, quod tibi peculiare ſit, dabis. Reddes, quod accepiſti. Pater tuus dum vixit, tui curam exercuit, tu, illo defuncto, eamdem vniuerſæ familiæ, quæ te parentis loco venerabitur, quaſi pater amantiſsimus rependes. Animus igitur in ægritudinem adeò ne propẽdat, vt proprij muneris cogitationem deſerat. Patrem ammiſſum deplora, vt te hominem oſtendas, ploratui modum facias. Ceterum gaudeas, ocaſionem tibi oblatam, vbi tuam in fratres, imò domeſticos omnes pietatem, quæ virtutum ſumma eſt, laudabiliter exerceas. Vale. Ex Villa.

EPISTOLA LVIII. Taurinam.

ALEXANDRO FRATRI ILLVSTRISS. Apoſt. Sedis apud Sereniſſ. Allobrogum Ducem Nuncij Ordinarij à Secretis.

EX patria non multa quidem afferuntur, ſed quæ aures audiendo perhorre-

reſcant. Fames in dies magis, magiſque graſſatur, quæ ni ceſſet, magnum ſubeſt periculum, ne pauperes internecioni dedat. Annona in dies carior, &, quod miſeriam auget, in dies rarior. Die Dominico, quod fuit xiij. Kal. Octob. dum permulti religioſi viri, ac feminæ in templo, quod nouum appellant, orationi vacarent, fulmen è Cœlo P. Hieronymum abſumpſit. Plurimi non longè abſentes conterriti. Mulier, quàm flamma non nihil attigit, peſſimè ægrotat. Hinc vulgus multa loquitur, occulta Dei iudicia ſcrutaturus. Ecquis adeo ſapiens, vt de huiuſmodi caſibus certum iudicium ferat? Vt viridarius acerba ex arboribus poma euellit, ne, cùm ad maturitatem peruenerint, furibus expoſita rapiantur: ſic Deus ex hac vita homines improuiſo extrahit, ne Dęmonum fallacijs diutiùs pateant. Alios diù eſſe non patitur; vitam miſerrimè aufert, vt in hoc ſœculo infernalium pœnarum, quibus perpetuò affici debent, arram accipiant. Quid verò ſentiendum de Sacerdote regulari, qui ſingulis diebus ſacrum fecerit? Qui

cete-

ceteris optimè viuendi regulam, optimo exemplo, præſcripſerit? Illud profectò ſapientiæ vſurpandum. ***Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, aut fictio deciperet animam illius.*** Hæc de patria, & in patriam: quæ dum ſtylus exararet, ſemel atque iterum doloris magnitudine ceſſauit. Nos Deum Opt. Max. obſecrare ne ceſſemus, vt patriam aliquando reſpiciens, tot malorum turba (quæ illius eſt benignitas) liberet. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LIX. Ad Cænobium.

ALFONSO LVPARO
Clerico Regulari.

NEgotium, quod per te mihi demandatur, magnum, & difficile. A re ipſa; à iuſſore, à me. Ego nihil ferè virium habeo. Iuſſoris ingenium tibi notiſsimum. Res, rerum ſummam continet. Omnia igitur videntur conſequi, vt onus reijciam. Vnum allicit, nempè deſiderium tuum, vt ſubeam. Si me tanto muneri aptum cogno-

Digitized by Google

gnoſcis, voluntatis meæ propenſionem, cognoſce. At voluntas non ſatis. Satis quidem dedit, qui nihil ex eo, quod habet, ademit. Quicquid ego ſum, voluntas eſt. Si quis aliquid vltra à me requirit, nihil requirit. Hæc ſcribo, non vt laborem ſubterfugiam, verum vt, ſi res minus proceſſerit, à me culpæ ſuſpicionem abducam. Vale. Ex Ædibus.

EPISTOLA LX. Romam.

HERCVLI VACCARIO Roſanorum Archiep. creato.

SI Romanæ Curiæ Antiſtitum fortuna meritis reſponderet, iamdiù iſta dignitate apud te collocata clientes tui gauiſi eſſent. Nnnc eo impenſiùs gaudent, quòd virtus tua præmij dilatione illuc deuenit, vt iſtis maiora ſenio tuo rerum experientia apprimè erudito, ſapientiæ, quæ nunquam conſeneſcet, nemo deberi non affirmet. Iſtius Prouinciæ Epiſcopis antiſtitas, & quod magis ad laudem, & honorem tunm facere vide-

videtur, cuncti Patres magnoperè lætantur Roſanenſium vrbi Archiepiſcopum à Deo contigiſſe: vnde boni, roſis recreentur, malos, ſpinæ in delictorum pœnam dilacerent. Archiepiſcopum dico, qui ceteris Epiſcopis ad ſolertem animarum curam, in tenebris, optimo exemplo facem præferat, vt Inferorum Lupus, qui ouium caulis inſidiatur, luce exterritus longiſsimè recedat. Huiuſmodi honore, huiuſmodi de te opinione, cui ſi Perſarum diuitiæ comparentur, vileſcunt, tibi ſummoperè gratulor, maiora etiam temporis beneficio, tuarum virtutum merito gratulaturus. Bononiæ.

EPISTOLA LXI. Lucam.

IOANNI TEGRIMIO.

EGo Principum maieſtatem libentiùs veneror, quàm de illorum officio loquar. Sacri vocantur. De rebus ſacris tutius cum ſilentio bene ſentias, quàm de ijſdem ſanctiſsimè loquaris. Verba, quæ ex

ex ore effluunt, huc illuc tranſuolant, apud accipientes naturam, & faciem mutant. Ideò non pauci honeſtiſſimè locuti peſſimè habiti ſunt, non ſua, ſed auditorum culpa. Iſti, verbis acceptis, non diuerſam modò, ſed contrariam quoque ſententiam indiderunt. Sed quoniam loquor cum viro amantiſſimo, qui ſentit, quæ ſentio, cupit, quæ volo, non fucatè loquar, vt propoſitæ quæſtioni reſpondeam. Si qui Principes ſunt (ego certè nullũ eſſe iudico) qui, æquitatis ratione minùs habita, cũ ſubditis ſummo iure agendum exiſtimant, illud fortaſſè rati, fore vt maiorem apud illos venerationem, ac metum inueniant, longiſſimè errant. Iuſtitiam clementia comitetur. Ratio habeatur hominum, temporum, criminum, & locorum. Iuſtitia ſemper eadem ſit: ſed varijs in locis non ſemper eàdem menſura adminiſtretur. Huius populi ingenium facilè blanditijs, illius durum, & aſperum minis in officio continetur. Omninò Principibus in primis rectè cauẽdum, ne morbi appoſita medicina ingraueſcant, illud Taciti exemplum ſemper præ oculis

habentes. *Gn. Pompeius tertiùm Conſul corrigendis moribus delectus, & grauior remedijs, quàm delicta erant, ſuarumque legum auctor idem, ac ſubuerſor, quæ armis tuebatur, armis amiſit.* Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXII. Maceratam.

IO. PEREGRINO PALMERIO.

VAletudinem meam amas, dũ illi conſultum habeam, admones. Iſtam ego non aſpernor, licet alij ſecus exiſtiment. Credunt, me aſſiduè ſtudere, librorum voratorem appellant, & fortaſsè per iocum, non ignari, ægrè me libros contingere, non quòd amor litterarum deſit, verùm quia litteras exercendi ocium deeſt. Si ſtudendi facultas deſiderio reſponderet, quàm libenter dies ipſos libris concederem! Iſtis non parùm delector: ſed quò magis deſidero, eò magis illorum contrectatione prohibeor. Si illud vnquam à fortuna obtineam, vt, vinculis omnibus ſolutis, ipſe mihi reſtituar, illuc quicquid ſtudij eſt, collatum

volo,

volo, vt nemo inde fatiganter me ſtudere iure optimo non affirmet. Vale, Bonon.

EPISTOLA LXIII. In Villam.

DOMINICO DE MONTESANCTO.

GEnij mei à rure auerſionem ſæpius, credo, aperui, maximè cùm ſatis longa, licet parum diſerta oratione in ruris amicos inceſſi, vrbis incolas laudaui. Sed neſcio quo pacto, cùm ad iſtam villam me inuitas, induere videor alium genium, qui tantùm abeſt, vt inuitationi repugnet, vt eã potius amplexatus, gratias tibi agendas exiſtimet. At cauſam reperi. Villam tuam Muſæ incolunt. Iſtæ genio meo quàm maximè placent, cum iſtis libentiſſimè morantur. Quid mirum igitur, ſi fruſtra non inuitas? Rus odi, quippe quod obijciat ſolitudinem. Sed ego apud villam tuam nunquam minùs ſolus, niſi ſolus. Veniam, & libros mecum afferam. Iſti erunt Comites, iſti Ciues, qui ſolitudinem ſpecioſam efficiant, rus in vrbem conuertant. Bononiæ,

EPISTOLA LXIV. Domum.

IO. BAPTISTAE PERVZZINO.

QVanti me faciat amicus tuus, qui à me conſilium, ne latum quidem vnguem (quod ait) ab eo diſceſſurus requirit, ſatis intelligo. Quicquid honoris iſtinc in me deriuatur, tibi acceptum refero, qui de me apud Cardolum honeſtiſſimè locutus, vt me tanto munere honeſtaret, impuliſti. Ego illud mihi non arrogo, vt conſilia præbendo aptum me iudicem. Si ab alijs iudicer, laborem tergiuerſari non licet, qui amicitiæ legibus ſatisfacere deſidero. Conſilio meo prudentiam non tribuo. Hæc enim virtus omnium laudatiſſima non adeò facilè apud quemuis reperitur. Vt sũma eſt, ſic ſummos viros petit: qui mediocris conditionis ſunt, omninò reſpuit. Verùm quicquid prudentiæ defuerit, fides in conſilijs maximè neceſſaria compenſabit. Iſtam ſi amico tuo à me pollicearis, nihil ſupra veritatem, nihil ſupra vires meas polliceberis. Ex Ædibus.

EPI-

EPISTOLA LXV. Peruſiam.

BARTHOLOMAEO CLAVDIO.

ISTius Academiæ ſtudium laudaui, potius quouſq. licuit, quàm quouſque libuit. Sermonis mei infantia debiti vobis elogij faſtigium non attingit. Sed quoniam quęſtionis in medium allatæ ſolutionem magis, quàm Academiæ laudem deſideras, illud ingenuè ſentio, multa vtrinque in medium adduci poſſe, vndè non ſatis conſtet difficultatis elucidatio. Attamen, quia liberam pro vna parte opinionem requiris, à fato reor, vt matres, quæ filios imperij potitos ambiunt, cum illis tandem imperantibus, non ex fallaci ſpe, imperent, ſed tamquam priuatæ feminæ obediant. Sed ne ſuperioribus cauſis, quarum diſſertatio maxime abſtruſa, niti videar, ad inferiores venio, & præcipuè ad eas, quæ perſonas ipſas, quarum negotium agitur, attingunt. Prima ſpecie Tiberius videtur Liuiam matrem non benè habuiſſe propria feritate, adductus, vel ſimpliciter ſolus regnandi

cupidus; quippè qui ſciret, quamuis ſcientiam diſſimulans, *eam conditionem eſſe imperandi, vt non aliter ratio conſtet, quàm ſi vni reddatur.* Qua etiam de cauſa nonnulli aſſerunt, Agrippinam à Nerone filio neci datam, vt illam in regno conſortem perpetuò excluderet. Sed re vera quamuis meri imperij flagrantiſſimus, attamen in matris odium, illius ſuperbiſſimis moribus impulſus eſt. Liuia nihil non experta, vt vir Auguſtus priuignum Tiberium ſibi ſucceſſorem adoptaret. Tandem aliquando exorauit: *nam ſenem Auguſtum deuinxerat, adeò vti nepotem vnicum Agrippam Poſthumum in Inſulam Planatiam proyceret.* Illud non ſatis. Auguſto ad vltimam vitæ lineam redacto, *vix dum ingreſſus Illyricum Tiberius properis matris litteris accitur, neque ſatis compertum eſt, ſpirantem adhuc Auguſtum apud vrbem Nolum, aut exanimem reperit. acribus namque cuſtodijs domum, & vias ſepſerat Liuia: lætiq; interdum nuncij vulgabantur, donec prouiſis, quæ tempus monebat, ſimul exceſſiſſe Auguſtum, & rerum potiri Neronem fama eadem*

dem tulit. O femineas artes nullis æquis artibus eludendas! Tiberius igitur matris cautiſſimæ beneficio Romanorum Imperium eſt aſſecutus? Ita ſanè. Sed reris, feminam animo turgentiſſimam, regnãdo aſſuetam, perpetui regni anxiam huiuſmodi artes, & dolos conſuiſſe, ni cum filio ſe regnaturam ſperaret? Ne credas. Iſtud, quicquid deſiderij fuit, Tiberius, cuius prudentiæ, & cõſilio nihil occultum, perſcrutatus, illam arctè, contentèque habendam iudicauit. Enim verò, quoniam *multa patrum, & in Auguſtum adulatio, alÿ parentem, alÿ matrem patriæ appellandam, plerìq; vt nomini Cæſaris adſcriberetur Iuliæ filius cenſebant: ille moderandos feminarum honores dictitans, eâdem ſe temperantia vſurum in ÿs, quæ ſibi tribuerentur*. Feminarũ honores moderandos, dixit, quia feminas, & matrem ſupra omnes nimis ſuperbientem nouit. Superbiam illius deſideras? *Cùm haut procul Teatro Marcelli effigiem diuo Auguſto Iulia dicaret, Tiberÿ nomen ſuo poſtſcripſerat*. Matrem igitur ſuperbia vltra efferi non ſuſtinuit: & rectiſ-

ſimè quidem. Niſi.n.facultas foret adēpta, via interclusa, etiam maiora agitaſſet. Quinimò in tantam licentiam erupit, vt ſexcenties in ſingulos dies filio beneficia, & præcipuè regnum ſuis precibus adeptum exprobraret. Diu exprobrationem, frequens ingrati animi vocabulum paſſus Imperator, cùm amplius ſuſtinendo non eſſet, *in Campaniam ſpecie dedicandi templum apud Capuam Ioui, apud Nolam Auguſto, ſed certus procul vrbe degere, vt matri neceſſarias inimicitias denunciandi periculum euitaret.* Illud ſemper ſenſit Tiberius, iniurias inimicorum, ne dū affinium, & conſanguineorum diſſimulandas. Iſtas apud matrem potiſſimum diſſimulauit. Vidit nomen ſuum matris nomini (vt ſupra monui) poſtſcriptum: *idque credebatur, vt inferius maieſtate Principis, graui, & diſſimulata offenſione abdidiſſe.* Sed maiorem diſſimulationem accipe. *Iuliæ Auguſtæ valetudo atrox, neceſſitudinem Principi fecit feſtinati in vrbem reditus: ſincera adhuc inter matrem, filiumq́. concordia, ſiue occultis odijs.* Ex præmiſſis conijcias, Li-

uiam

uiam præbuiſſe anſam Tiberio; cur non æquo animo aſpiceretur. Igitur occultæ ſimultatis cauſa non in Tiberij feritatem, ſed in Liuiæ ſuperbiam, & elationem deriuanda, cui ſi data fuiſſet eruptio, Tiberius diutiſsimè non regnaſſet.

EPISTOLA LXVI. Romam.

IOANNI LIGIO Theologo.

QVò receſſit, vir amiciſſime, illud temporis, cum ſingulis hebdomadibus ſcriptionis viciſſitudine vtebamur? Nunc ipſi mẽſes abeunt, & ne vna quidem à nobis abit epiſtola. O religioſa amicitia conſueto alimento deſtituta! O noſtra, qui eam deſtitui paſſi ſumus, nunquam ſatis improbata negligentia! Tempus hucuſq. ſilendo amiſſum, haud reſarcibile me non parùm ſolicitat. Sed tamen de præterito ſoliciti ne ſimus. Iſtud malum nullam habet medicinam, præter patientiam. De futuro cogitemus, ne in poſterum amicitia

noſtra

noſtra optati cibi iam diù famelica miſerrimè intreat. Ne faciat, ſtylo haud parcamus. Tu ad præſentes raptim ſcriptas reſcribe, & vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXVII. Panſanum.

CORNELIO MALVASIAE.

VEriſſima locuti ſunt, qui Illuſtriſsimi Card. Sabelli Bonon. Legati diſceſsũ nunciarunt. Ille valetudinarius Legatione per litteras ad Sanctiſſimum abdicauit. Reſponſum accepit, vt quamprimum libuerit, vrbem relinquat. Succeſſor adhuc in ambiguo. Nonnulli Cardinalem Vbaldinum nominant; plurimi Caetanum. Vterque Princeps optimus, vterque iuſtitiæ ſimul, & clementiæ amãtiſſimus. Quamobrem vteruis Bononiæ contingat, Ciuitas erit feliciſſima. At enim quid felicitatis miſerrimis temporibus ſperandum, vbi rerum omnium annona cariſſima, & rariſſima? Legati caritate, annonæ caritas non parum vileſcet. Sic Bononienſes ſperant, & non

& non fruſtra ſperare iudicant. Vale. Ex Villa Caſalechij.

EPISTOLA LXVIII. Bononiam.

FRANCISCO MARIAE SINIBALDO Protonotario Apoſt. Bonon. Vicario Generali.

EO' temporum anguſtię deducti ſumus, vt licet hominum virtutes clariſſimè eluceſcant, attamen non adeò facilè Principum gratiam mercantur, & ſi merentur, vacua omninò ſit, quam nullū beneficium conſectatur. Sed tua, Sinibalde Reuerendiſſime, merita, dum in claro ſunt, ſunt in premio apud Illuſtriſs. Cardinalem Ludouiſium Summi Pontificis fratris filium, Principem non minùs virtute, quàm dignitate cunctis admirandum. Gratiam ſuam, quam etiam ſummi ſubſelij homines ambiunt, tibi non vacuam fore declarauit, cum te Archiepiſcopatui ſuo Vicariū præfecit. Quid mirùm igitur, ſi poſt ſemeſtrem laborem te Eccleſiaſtica penſione honeſta-

uit?

Digitized by Google

uit? Penſionis vtilitatem mitto, honorem tibi omnibus locis ſpectatũ ſpecto. Iſtum, qui maximus eſt, quoniã à Maximo Principe, tibi quàm maximè gratulor, tuarumque ciuilium, & moralium virtutum præſtantiæ maiora in dies accedant precor, & auguror. Ex Villa.

EPISTOLA LXIX. Vrbinum.

IOANNI BERNARDINO Bonauenturæ.

IMproborum linguæ Diuis non parcunt, mortales reuereantur? In longiſſimè abſentes feruntur, quibus cum aſſiduè verſantur, non attingant? Venenum quaſi aſpides huc illuc euomant, oportet. Iſtud, inquis, quicquid veneni eſt: diuos petit, nec tamen attingit, quoniam cœleſtes illius læſioni non ſubiacent. Equidem fateor. Sed cum detractores in te inceſſunt, non corpus, ſed animum ſitiunt. Animus cœleſtis eſt; ideò iſtum non attingunt. Quid ergo cùm huiuſmodi homines, ſeu potius

Dæ-

Digitized by Google

Dęmones in mei famam inuehuntur? Dentes acuunt, quibus ſe ipſos acerbiſsimè dilacerent. Cum enim vident, acutis linguarum ſuarum ſagittis nihil, niſi auras verberari, intima rabie, quæ exta, quaſi Alecto abrodit, verberantur. Itaque diuino conſilio contingit, vt iure optimo vulgatum illud peccati pœnam experiantur. *Turdus cacat ſibi mortem.*

EPISTOLA LXX. Forosemproniũ.

LVDOVICO SINIBALDO I. C.

QVæ de peſte, ac fame tibi hiſtorias legenti obiecta ſunt, humanam potius admirationẽ ſuperant, quàm fidem. Iſta mala, quæ omnium maxima, vt breuiſsimè conficiant, arma non aliundè, quàm à ſe ipſis accipiunt. Ecquid, obſecro, ſi legeres, peſtem in Iudęa ſub Dauide Rege ſeptuaginta hominum millia voraſſe? Ecquid ſi Biſantij, Iuſtiniano Principe, ſæuiter adeò graſſatam, vt in ſingulos dies quinque, interdum etiam decem millia

lia neci dederit? Mitto Græcanicam, quæ Michaelis Ducæ imperio, vires adeò atrociter exercuit, vt viui, mortuis ſepeliendis non ſuppeterent. Hæc de peſte ex Zonara tom. 2. Procopio de bello Perſico lib. 2. Agathia lib. 5. hiſtor. Oroſio lib. 5. cap. 8. fidei nihil ambiguus] affirmo. De fame, duo exempla inſtar omnium habeas. In circo Romano, dum Honorius imperaret, illa vox horribilis erupit. *Pone pretium humanæ carni*. Italia Gothorum armis vaſtata hoc malum in medullis ſenſit, & in ſolo Piceno quinquaginta millia hominum amiſit. Si hodie, inquies, ſingula Picenorum capita cenſeantur, nulla aut pauca ad iſtum numerum. Non diffiteor. Sed noſti rerum vicisſitudinem. Ego Procopio aſſentior, qui de fame aſſerit nihilo minora. Hæc ſatis, credo, futura, vt auctores, quorum lectioni operam nauaſti, apud te fidem inueniant. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LXXI.

AMICO CVIDAM.

SI dicam, me vicem tuam dolere, parum certè dicam: quia dolor ex amici dolore ineuitabilis; & qui iſtum interdum vitat, non eſt amicus. Potius dicam, me nihil dolere, quia nullam apud te doloris cauſam inuenio, cùm omnia circumſpexerim. Quæ aliorum culpa commiſſa ſunt, dolorem non habent: illud nobis dolendũ, quod à nobis accidit. Patria, inquis, carere non parua ærumna. Fortaſse. Sed quam tu patriam nominas? Quæ ortum dedit? Non ita. Vna omnium communis patria, Orbis terrarum. Iſta qui caret, ſi vitam diligit, magnum ſuſtinet malum. At vnde abeſt, qui vbi natus eſt, locum deſeruit? Domo. Illud ſi animo euoluis, *Domus cara, domus optima*; Teſtudinis exemplum in medium reuoca, domum quocumque incedis aſporta. Quinimò, ſi rectè ſentias, licet domo abſis, domo nõ cares: quia iſtam vbique gentium extructam, & para-

tam

tam habes. Dum iter facis, vix vrbem ingreſſo occurrunt hoſpitum pueri, qui te liberaliſsimè inuitant, alliciunt, nolentem cogunt, altera manu æqui habenas, hyppias altera obſequioſi retinentes. At enim dum abſum à patria, amicos non video, nec fruor. O te felicem! qui amicos habes, vbi alij conqueruntur, ſe quàm plurimos inimicos reperiſſe. Seù potius, ò te miſerum, qui amicos habes ſolum in patria. Ergo foris nullus amicus? Imò non pauci, & certè amantiſsimi. Ad ſummam ſi doles, & nullam aliam doloris cauſam habes, à recta ratione, meo iudicio, longiſsimè abes. Vale, & vbi dolendum, dole. Bonon.

EPISTOLA LXXII. Pergulam.

LAVRENTIO ALBERTO I. C.

SCribis, quæ nihil de te, nihil ad me. Non ita conuènit inter nos. Lege cautum eſt, vt quæ de alijs, & ad alios, ſilentio premantur. Si legi ipſe te eximis, me quoque eximere ne recuſes. Annuis? Ego pariter

riter litteris tuis, vel præter legem conſcriptis annuo. In illis nuncias N. amicum tuum primariæ Ciuitatis muneri præfectum ſecum adduxiſſe vxorem. Iſtud nihil ad me. At enim quæro, num rectè, num laudabiliter adduxerit? Hic certè pelagus, imò Oceanus: vnde non adeò facilè liceat enatare. Tacitus tacitè tollat nos per iſtas vndas omnium maximè æſtuoſas. Quid iſtud negotij ad Tacitum? Quod alia multa. Minùs quàm nihil. Et tamen, vt de iſta re non ſecus, ac de ceteris prudentiſſimè loquatur, non benè ſentit de ijs, qui ad publica munera profecturi, vxores domi non relinquunt, illud conſtantiſſimè affirmans, feminas eſſe non imbecillem tantum, & imparem laboribus ſexum, ſed ſi licentia adſit, ſæuum, ambitioſum, poteſtatis auidum. Vale. Bononiæ.

Q EPI-

EPSITOLA LXXIII. Bononiam.

PETRO MIGNINO.

LAudes, & gratiæ nouiſſimis litteris tuis, quæ non exiguo me animi angore liberarunt. Heù quam metui, ne ſcripturę, quas ad te miſeram, ferentis indiligentia perijſſent. Illud ſi accidiſſet, ego ſtatim perij, exclamaſſem. Quid illæ interſint, optimè noſti. Qui eas fidei meæ cõmiſit, ſe nulli vnquam crediḋiſſe iure iurando affirmauit. Et quoniam pluris meam, quàm aliorum fidem æſtimauit, ego, ne ingratus appaream, illum plurimi debeo eſtimare. Quamdiù ijs vti poſſis oblitus, non ſcripſi. Nunc illud ſignifico. Per menſem mihi cõmodatas. Eò vſque apud te ſint; & ſi quid ſupra neceſſe, me certiorem facias, quia haud magnum duco negotium, menſem ſupra ab amico obtinere. Haud magnum negotium dixi, non meis meritis fretus, ſed amici erga me humanitatem expertus. Nihilo plus ab eo deſidero, quàm impetro. Ille à me nihil, aut certè parum impetrat.

Vnde

Vnde fit, vt quo minus à me petat, eo plus ego illius cauſa cupiam. Tu vale, & ſcripturarum, ſi me amas, aut te à me amari credis, cautioni conſule. Ex Villa.

EPISTOLA LXXIV. Lucam.

FRANCISCO MARCHIO.

DIgnitates alij affectent, genio ſuo morem gerant; animus enim meus pręſentibus contentus quid veſper vehat, nihil laborat, nihil cogitat. Attamen cuiq. ignoſcendum. *Alij alijs rebus delectantur.* Hic honores ſe conſentantes fugit: ille fugientes conſectatur. Vterque, quod optimum eſt ſentire, & agere exiſtimat. Opinio plurimum valet. Hæc animo ſæpiſſimè dominatur. Non raro ad ea, quæ nihil proſunt; imò non parùm obſunt, vel repugnantem impellit. Quidni impellat? Ne opinio vincat, quæ vt plurimum inter nebulas: & nebeculas verum non cernit. Quod vtilius eſt ſequi rata, noxia amplexatur, & fouet? Præſens Boetij metrum de Conſol. Philoſo-

loſophiæ re ipſa obſeruandum.

Quis quis profunda mẽte veſtigat verũ,
Cupitq́; nullis ille deuijs falli;
In ſe reuoluat intimi lucem viſus,
Longosq́; in orbem colat inflectens motus,
Animũq́; doceat, quicquid extra molitur
Suis retruſum poſſidere theſauris.
Dudum quod atra texit erroris nubes,
Lucebit ipſo perſpicacius Phœbo.

O diuinum a diuino Philoſopho pręceptũ! Illud mente appræhenſum teneamus, vt ſpecie veri nunquam, decepti, bonum, & honeſtum amemus, quæ hiſcè contraria ſunt, ſemper exoſi auerſemur. Caſalechij.

EPISTOLA LXXV. Ventimillium.

VIRGINIO PORRO.

IN cura animarum ſolicitudines, & curæ adeò ærumnoſæ, vt animus illinc labefactatus exanimetur. De iſta re experti loquantur: non experti ſilentes credant, quamuis maiora etiam audirent. Si ego expertus interroger, reſponſum feram.

Om-

Omnium curarum cumulum in ſola animarum cura coaceruatum. Magnus quidem illic merendi locus, ſed magnum quoque demerendi periculum. Ergo, ſi quis periculum amat, curam animarum ſuſcipiat. Qui animi tranquillitatem ambit, illinc longiſſimè abſit, quoniam à periculo, quod perpetuum angorem animi carnificem nutrit, longiſſimè aberit. Vale. Bonon.

EPISTOLA LXXVI. In Villam.

IACOBO PHILIPPO TVRINO.

ASylum in ipſis vrbis exordijs Romuli iuſſu extructum, hiſtorici omnes affirmant. Sed temporis progreſſu Imperatorum effigies loco Aſyli eſſe cœperunt, quò rei confugerent, peccatorum ſupplicia euaſuri. Iſte honor Imperatorum ſtatuis habitus ſceleratorum, ſcelerumque ſimul copiam auxit. Multi namque ipſas ſtatutas amplexi, aut hos, aut illos, libitu ſuo, iniurijs cumulabant, pro comperto habentes, ſe tamquàm in loco ſacro eſſe, vbi

nemo vim vi repellere, etiam natura ſuadente auſus eſſet. Huiuſmodi abuſum in Principum imaginibus, apertiſſimè oſtendit Tacitus lib. 3. his verbis. *Incedebat —— deterrimo cuique licĕtia impunè probra, & inuidiam in bonos excitandi, arrepta imagine Cæſaris, libertiq́; etiam, ac ſerui patrono, vel domino, cùm voces, cùm manum intentarent, vltrò metuebantur.* O licentiam nullo ſæculo auditam! Sed quo pacto obuiam itum? Per C. Ceſtium Senatorem, quem de iſta licentia abolenda in hunc modum differentĕ legimus apud eundem auctorem. *Principes quidem inſtar Deorum eſſe, ſed neq. à Dijs niſi iuſtas ſupplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium, aliaue vrbis templa perfugere, vt eo ſubſidio ad flagitia vtatur.* Poſt huiuſmodi diſſertationem, quàm alij Senatores ſecuti ſunt, ſubiungit Tacitus, *abolitas leges, & funditus verſas, vbi in foro in limine Curiæ ab Annia Rufilla, quam fraudis ſub iudice damnauit, probra ſibi, & minæ intendantur, neque ipſe audeat ius experiri ob effigiem Imperatoris oppoſitam.*

Iſta

Iſta ratio nullis fucis illita, ſed veritatis adminiculo ſuffulta ſuadere potuit Druſo, vt *daret vltionis exemplum, donec accitam, cõuinctamq́; publica cuſtodia attineri iuſſit*. Hæc animo tuo de iſta re per litteras quærenti, ſi libeat, reſponde, & à me plurimum vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXVII. Firmum.

TROILO ADAMO I. C.

SVauitatem, ac dulcedinem redoleant litteræ tuæ neceſſe eſt, quia de melle quæſtionem afferunt. Mel quidem habent, inquis, ſed acetum: quod incredibile videtur. Non ſolum incredibile, ſed vero nequaquam ſimile. Si mel, non acetum: & ſi acetum, non mel. Mel enim, & acetum inter ſe pugnant. Quoniam pugnant, idcircò pugnam nobis longam obijciunt, & arduam, quæ à te diremptionem expectat. Iſtud quicquid eſt mellis, difficilimè deglutiam, niſi Turnebus opem ferat. Is *mel acetum* iudicat eſſe mel optimum, illud dico,

co, quòd, dum nobile ſidus luceſcit, aut cœleſtis arcus, cœlo nihil madido, apparet, gigni conſueuit, multis morbis curandis ſalutare. Sed idem Turnebus, cuius acerrimo ingenio, & iudicio pœnitus acquieſco, apertiſſimè ſentit, mendoſum eſſe Plinij locum, & mel Atticum potius legendũ, quàm *acetum*. Habes loci expoſitionem ſimul, & coniectionem, non ab amico, ſed ab auctore huiuſmodi rerum peritiſſimo. Vale. Caſalechij.

EPISTOLA LXXVIII. Romam.

IO. FRANCISCO PASSIONAEO I.C.

TVam in amicum pietatem laudo, quia illinc animi tui celſitudo apparet: dũ beneficium non fœnori ponis, verum liberaliſſimus elargiris. Sed quoniam ſæpiſſimè accidit, vt nihil proſint principia, niſi ordo ſequatur, & finis, illud tibi ſuadeo, ſeu potius rogo, ne medio curſu liberalitatem contrahas adeò, vt amicus iaceat auxilio tuo deſtitutus. Quantum enim famæ illius

lius miſerijs iſtucuſque ſubleuando tibi comparaſti, tantundem, nec minus ceſſando, amiſeris. Ouidianum illud menti occurrat.

Turpius eijcitur, quàm non admittitur hoſpes.

Illum, quaſi hoſpitem admiſiſti, nunc admiſſum eijcias? Quicquid homines de iſta eiectione loquantur, nihil laboro, quia nihil credo. Noui te cupidum arripiendi anſam, vnde omnes re ipſa intelligant, te beneficia vſque ad neceſſitatem libentiùs dare, quàm accipere. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXIX. Fanum fortunæ.

IVLIO STATO I. C.

NOctem præteritam in ſomnis traduxi campanarum ſtrepitu excitatus. Inſolitæ rei cauſam à domeſticis percōtor: aiunt, ignis in vrbem graſſantis indicia cōſtare: vnde brentiferi accurrant, Neptunum quaſi manu ducant, vt perpetuum hoſtem Vulcanum conficiat. Strepitus non

ceſſat.

ceſſat. Ego non parū timeo Ciuitati, quippè, quæ plurimum damni, vt ſæpius conſueuit, ab incendio patiatur. Animo, & corpore anxius Auroram, quæ lucem vehat expecto. Tandem aliquando adeſt. Ego à cubitu abſum, citus exuuias induo, domò pedem elaturus, iuuenem prætereuntem, quid noui, interrogo. Reſpondet, edaces flammarum globos in ſtabulis ſecūdum Illuſtriſſimi Cardinalis Legati Curiā Veſuuij incendia præſeferre. Illuc me fero, quò homines cateruatim currebant, alij vt ignem propriam rabiem expleсturum extinguerent, aut illius progreſſus repellerent. Tandem ad vicum deuenio. Illic viri, ac feminæ pueri, iuuenes, & ſenes, adeò frequentes, vt in illa turba vix eminerem. Flammæ ſe in Cœlum ferentes ſeptem collium vrbem à Nerone, ſeu Troiam à Græcis combuſtam menti obijciebant. Non modò ſtabulum, ſed etiam officina ferraria incendio eſt abſumpta. Stabularius, dum ignis ſuperiorem ſtabuli partem vorabat, equos, phaleras, & ſi quid aliud erat, abduxit, præter Aſinum; quippe quem natu-

ra

ra tardum admiranda Vulcani, licet altero pede claudicantis, celeritas oppreſſit. Fœnum, quod igni materiam præbuit, totum ſecundò exaruit, & quod CCCCC. currus (vt aiunt) impleuit, nunc poſt biduum cinis breuiſsimo ſoli ſpatio continetur. O magnum à Deo beneficium! Ignis tanta licentia exarſit, vt ſi venti auſtrales, qui grauiſsimè hiſcè diebus ſpirare conſueuerunt, non ceſſaſſent, tota Inſula ſtabulo affinis labefactata corruiſſet. Si incendij originem quæras, iſta non ſatis conſtat. Quidam fortunæ, non pauci quorundam improborum inuidiæ adſcribunt: Sed quis adeò improbus, vt tantum facinus mente conciperet, nedum re ipſa expleret? Facinus quidem Dæmoniacum potius, quàm humanum. Vt cumque ſit, hominem, qui delicti compos creditur, in vincula coniectum affirmant, vt ab eo rei veritas, aut blanditijs eliciatur, aut tormentis extorqueatur. Iſtius rei euentum miſeratione dignum, quia homines non ſatis opulentos attigit, inopinatò tibi narraui. Quid faciam ſi frequentes à me litteras petas, nec ſemper ſcriptio-

ni ſuppetit argumentum? Niſi præſens deſiderio tuo ſuppetat, aliquid ſupra depoſce. Sed ommiſsis iocis, ſatis iam ſcripſiſſe intelligo, adeò vt ignis, qui ſcriptioni exhibuit argumentum, te quoque inter vndas longiſsimè abſentem calefaciat. Vale. Bonon.

EPISTOLA. LXXX. Bononiam.

IACOBO GIRALDINO S. Martini in Argine Archipresbytero creato.

SAccus piæ mem. amicus nondum è vita diſceſſerat, cùm illi te ſucceſſurum prędixi. Quippe introſpiciebam, merita illis maximè conſpicua, qui plurimum vellent, ac poſſent ea confouere. Adfuit nonnulla difficultas, vt voti tui compos fieres? Aderit etiam maior dignitate iam accepta fruendi voluptas. Rectè Plato: *Pulcra difficilia*. Dignitates cùm pulchræ ſint, aliquid in ſe neceſſariæ difficultatis continent. Reſpicias (obſecro) ſortem illorum, qui alicuius honoris deſiderio flagrant, & dum

quaſi

quaſi manutenere cogitant, ab eo longiſſimè abſunt. Tu Archipresbyteratum nihil affectaſti. Ab ijs, quorum præſentatio erat, delatum accepiſti. Ij detulerunt, vt opportunum virtuti tuæ præmium reponerent. Iſtud præcipuè lætor, vnde no parum laudis, nō parum iucunditatis te video accepturum, quòd omnes, inquam, eiuſmodi munere te potius dignum, quàm nimis cupidum cognouerint, prædicarint. Eſt igitur, vnde gaudeas. Enimverò iam diù illuc deuenimus, vt aliorum merita, aut lucem per improborum inuidiam oppreſſa non aſpiciant, aut in lucem expoſitis fauores, quàm longiſſimè prauertant. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXI.

AMICO CVIDAM.

INcœpti, ſed mihi ſatis videri poterit incœpiſſe, aiunt litteræ tuæ. O vocem viro ſcilicet dignam! Equidem multos audacter incipientes vidi, quos minima difficul-

tas

tas retardauit. Sed num meritò laudandi, tu ipſe iudicabis. Si quid laboris, qui ſuperari nequeat, non à re ipſa, à tua opinione apparet. Hanc ſi ſuperes, omnem laborem ſuperabis, Rectè Lipſius. *Vt ij, qui Tyrannidem ſublatam è ciuitate volunt, tollunt ante omnia, euertuntq́; arcem: ſic nobis, ſi ſeriò ad bonam mentem pergamus, deijciendum caſtellum opinionis.* De te plus ſpera, plus aude. Vt ingreſſus ad negotium, mons ingens apparuit, non aliter progreſſus. Illum conſcendiſti, hunc etiam ſuperabis. Rei difficultatem cogita, ne inconſultò aggrediaris, ſed aggreſſus ad finem lætiſſimus propera. Si equi magno ſe impetu è carceribus efferentes falſa alicuius rei ſpecie obiecta perterriti in medio curſu conſiſterent, metam nunquam attingerent. Sic tu curre vſque ad metam, brauium, vnde ſalus pendet, accepturus. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LXXXII. In Villam.

ANGELO MICHAELI SACCO Philoſopho in Bononien. Archigymnaſio Medicinæ Profeſſori.

ARtem à te medicam, quæ hoc anno licet à contagij ſpecie parum alieno, multos Orco eripuit; fratri tuo Archipresbytero nihil opis attuliſſe lamentaris. Vtrũ æquè, ac rectè non alium iudicem, quàm te ipſum appello. Quicquid virium ineſt medicinæ, vel ab ipſa, vel à ſuperiori cauſa. Ab ipſa affirmare putidum omninò, & iniurioſum. Si à ſuperiori cauſa, hæc ſumma prouidentia operatur, rebus inferioribus virtutem non caſu aliquo, ſed optimo conſilio nunc largiendo, nunc adimendo. Sed iſta ab oculis noſtris longiſſimè remota, ac re ipſa ſunt, apparent longiſsimè diuerſa. Igitur fratris tui obitus, non ab artis imbecilitate, ſed à ſumma illa omnipotentia, cui tamquam rerum omnium Dominæ libentiſsima paret medicina. Sed cur hæc ad Philoſophum, & Medicum certè præſtantiſ-

tiſsimum, vnde alij edoceri poſſunt, nihil nobis niſi optima cauſa euenire? At ſenſus tuus cõſanguinitatis ſtimulis adactus Philoſophiæ præceptis anteuertit. Hæc ſi præoculis habeat, in iudicij trutinam ponat, ſentiet profectò huiuſmodi vulnera: ſed ne dolor ingraueſcat, citus medicinam apponet, & eam profectò ſalutarem. Cùm tu iſtam domi habeas, aliunde ne quæras: & qui ceteris rerum aduerſarum turba perculſis leuamen affere conſueueras, nunc eo ipſo te parùm decorè indigentem ne oſtendas. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXIII. Mediolanum.

ANGELO ARCHIEP. GOZADINO Bononiæ Suffraganeo.

MAgiſtratus virtutes animo tuo inſitas reſerauit, non viro, ſed heroe potius dignas. Heroem nouerunt te Itali, & Hiſpani, quorum ſummi ponderis negotia agitaſti, ſeù verius loquar, diù multumq́ue periculosè agitata prudentiſsimè com-

compoſuiſti, in tranquilla ſtatione collocaſti. Gaudet Bononia vniuerſa, ſed magis gaudet referta clientium tuorum copia. In ijs, qui reſtim ducit, qui facem præfert? Ego omnium certè viliſſimus. Viliſſimus nō animo, ſed viribus. Illum mihi a me largior, ab iſtis torturæ aduerſantis impetu abducor. Ob id omnium maxime tibi gratulor, & reditum cunctis optatiſsimum ad nos tibi felicem auguror. Augurium ne reijcias ab eo, quem à patrocinio tuo nō reieciſti. Videris hic clerum, imò populum vniuerſum tuo reditu non parum lętantem, qui optimè à te huiuſcè Archiepiſcopatus adminiſtratione collętatur. Ex Ædibus.

EPIST. LXXXIV. Foroſempronium.

FEDERICO PELINGOTTO I. C.

PReces apud amicos à meritorum facundia ſilentij mandatum accipiunt. Tu & amicitia, & ſpirituali affinitate de me optimè meritus, vt à me aliquid obtineas, parum, aut nihil loquaris. Et tamen ſi lo-

queris, tantum loquere quid velis. Rei facilitatem iudicio meo, remunerationem ſilentio relinque. Omnia, quæ tua cauſa efficio, non à te, qui meritò accipis; à me, qui multa immeritus accepi, reſpiciunt. Tu, qui multa dediſti, multa recipere, ego, qui multa accepi, multa debeo referre. Sereniſs. Mutinenſium Ducis epiſtolam ad Sereniſs. Vrbini Principem pro te commendatitiam conabor impetrare. Quid denique ſi impetrem? Verba rebus inæqualia reponam. Sed verba de meliore nota, vt ſpero, conſcripta, rerum naturam non parùm tibi profuturam induerint. Illud mihi Sereniſsimi Ducis benignitas, nobilis viri apud ipſum Ducem gratioſiſsimi, qui epiſtolam obtinebit, liberalitas pollicetur. Simul atque illam accepero, quam citò me accepturũ confido, ad te mittam, ea lege, vt in poſterum operæ meę indigus, verborum circum locutionem veteri amicitiæ noſtræ inimicam intermittas. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXV. Bononiam.

PHILIPPO CAROLO GHISILERIO.

SIc certè eſt, vt tu aſſeris. Animi quies nullo auro contrà benè æſtimatur. Si Midæ, ſi Perſarum diuitias habes, animi quietem non habeas; miſerrimè eges. Contra, ſi defęcato, tranquilloque ſis animo, in maxima paupertate maximè abundas. Igitur, cur te nō magnopere laudem, qui ceteris rebus, quaſi nullius pretij, prętermiſſis, hoc vnum curas, hoc vnum ambis, quietem animi? Omninò plurimum ſapis, qui veras diuitias ſuimet imperium exiſtimas: illud verò non aliundè, niſi ab animi tranquillitate. Qui enim proprijs affectionibus non ſubiacet, nemini ſeruit; & dum ſibi imperat, in alios imperium negligat: quia illud merum imperium, quod in nos, & à nobis. Expertus loquor, idemque locutus ſum ad amicum de iſta re per litteras percontantem. Quin ſi optio mihi daretur, vtrum, quicquid eſt diuitiarum cum animi agitatione, vel quietem animi nu-

dam, ſimplicem, & quacumque re deſtitutam mallem, iſtam profectò eligerem; quia

Si æquus animus eſt tibi,
Satis habes, qui benè vitam colas.

Bononiæ.

EPISTOLA LXXXVI. In Villam.

LAELIO BONFIOLO.

EGo ingrati animi vitium mente deteſtari poſſum, non litteris, vt poſtulas, accuſare. Quæ oratio adeò acerba, quæ verba adeò fera, vt in feram illam omnium crudeliſſimam ex meritis inceſſet? Monſtrum eſt horribile, & tamen nemo, aut ſaltem pauci ab eo timent. Sed cur iſtud, quicquid eſt vitij, repræhendam? Nos ipſos magis, repræhendamus, qui nulla ratione habita meritorum, apud immeritos ſæpè beneficia collocamus, tamquam apud meritiſsimos. Nos ipſos, inquam, repræhendamus, quia nos (vt Seneca ſcriptum reliquit) *ingratorum turbam augemus*. Qui, obſecro, te impulit, vt beneficium afferres ho-

homini quaſi ignoto? Amicorum obſecratio. Ergo beneficium non ammiſſum. At qui accepit, nihil meminit. A te non debet meminiſſe, quia tu nihil ei dediſti. Animi gratitudinem amicis debet, quoniam ab amicis beneficium accepit. Vis rationem edoceri, qua in poſterum beneficia ne perdas? Illa ignoto ne tradas. Audi Comicum.

Lupus eſt homo, homini non homo,
Cùm qualis ſit, non nouit.

Bononiæ.

EPIST. LXXXVII. Foroſempronium.

FEDERICO PELINGOTTO I. C.

Comes litteras à Sereniſsimo Duce pro te commendatitias accepit, quas Bononia ad Sereniſsimum Vrbini Principem Legatus iter faciens, Franciſco Paſello Bononienſi Patricio, qui illas rogatu meo impetrauit, is mihi ad te (quod petijſti) mittendas redderet. Comes, vt Bononiam venit, negotiorum turba oppreſſus,

litteras oppreſsit. Re Piſauri cognita, ad Sereniſsimum Principem detulit. Quam verè Comicus.

—— ſæpè iam in multis locis
Plus inſciens quis fecit, quam prudens boni.

Quid boni fecerit Comes ex præſenti folio ad litteras reſponſionis exemplo facillimè cognoueris. Lætor, te quicquid optas, adepturum; ſed magis lætor, meas apud Paſellum, Paſelli apud Ducem Sereniſs. preces valuiſſe. Diſcant amici, me illorum cauſa omnia velle, omnia conari: niſi conatus eueniant, fortunæ non voluntatis peccatum eſſe. Tu illud diſce, omnibus locis, rebus omnibus, opera mea vti. Niſi vtaris amicitia noſtra (quod mihi ingratiſsimum fuerit) abutèris. Re namque ſibi parata non vti, nõ multo ſecus profectò eſt, quàm illaudatiſsimè abuti. Vale. Bonon.

EPI-

EPISTOLA LXXXVIII. Piſaurum.

VINCENTIO BRANCVTO.

TV quicquid noui apud nos, cognoſcendi cupidus, caſum miſeratione dignum, & in eo hominum improbitatem, imò ferinam ſæuitiam agnoſce. Duo amici, ſeu veriùs dicam, duo inferorum miniſtri, ſpecie religionis, ad Diui Lucę templũ, cum duobus ſcortis iter capeſſunt, ſacratiſsimam Deiparæ Virginis Mariæ imaginem ab eodem Euãgeliſta pictam inuiſuri. In reditu alter ex illis, libet ne ad hoſpitium, quod Mauri appellant, diuertere? Alter aſſenſit. Ad hoſpitem accedunt, humaniter excipiuntur. Paratur menſa, oppiparè cenatur. Remotis epulis, remotis arbitris, cubitum itio ſimulatur. Actutum ſinguli viri, vt virus mortiferum euomant, ſingulas feminas rapiunt, raptas ictu oculi citiùs, ſilentio quaſi conſepultas iugulant: quicquid auri, & gemmarum eſt, rapaciſſimi auferunt, furtim hoſpitium relinquũt. Tragicam hiſtoriam paucis accepiſti. Di-

cas igitur noſtram ætatem illuc deueniſſe, vt homines improbitatis deteſtandam impietatem, pietatis imagine oblinıant. O tempora! ò mores! Quibus propter annonæ caritatem, pane famem non licet, auro conantur explere. Sed cur annonæ caritas accuſanda? Huiuſmodi homines non panem, ſed humanum ſanguinem, indeq. aurum eſuriunt. Iſta fames omnium malorum ſuada, nihil non mali mortalium animis ingerere conſueuit: adeò, vt velis, nolis, Virgilianum illud fateri neceſſe habeas.

—— quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Cogit ſenſum, non voluntatem. Hæc à Deo libera, vbique liberè habens, cunctis malis arbitratu ſuo ſe liberat. Ni faciat, non famem, ſed ſe ipſam, quæ criminis fami ſubiecit, repræhendat. Vale. Ex Villa.

EPI-

EPISTOLA LXXXIX. Auximum.

THEODOSIO GVARNERIO I. C.

QVid libet rerum coniectores acerrimo iudicio ſuo, ex palumborum abitione præſagiant, ego diuinæ quidem prouidentiæ, quæ nõ fallit, nec fallitur, omnia referens, à te rogatus, iudicij mei tenuitate, illud præſagio, à nobis ſimplicitatem, Chriſti iuſſu, animis noſtris neceſſariam abijſſe. Vbi quæſo fides? Vbi iuſtitia? Vbi pax? Vbi vera amicitia? Hęc omnia abierunt. Inuaſit improbitas, diſcordia, ſimulatio, inuidia. Hinc peſtis omnium maximè mortifera. Peſtis, dico, omnium peſſima, quæ meliorem partem inuadit. At, cùm rectè iudico, iſto nomine minus acerba: quoniam inuitos nõ aggreditur. Concedant peſſimæ artes; redeant virtutes. Adſit cordium ſimplicitas: aberit peſtis; aderit palumbus, ex cuius abitione iſtorum augurum ſcientia periculũ peſtis, quod huiuſmodi aues Naturæ impulſu facillimè præſentiũt, ſubeſſe cõiectatur. Vale.

EPI-

EPISTOLA LXXXX.

AMICO CVIDAM.

INdignationem tuam litteris adeò elegantibus expreſſiſti, vt mihi, vel abſenti oculis contemplandam obieceris. Cauſa tibi æquiſſima videtur, quæ facilem ab omnibus eliciat indulgentiam. Liceat, quęſo, cum amico amicè loqui, hoc eſt liberè. Tu interim philauthiæ habenas, vnde rectè iudices, contrahe. Quoties ſanguis circa pręcordia ebulliens, bilem concit, licet eam exerere? Si ita eſſet, pars ſuperior, ſemper inferiori ſeruiret: Equus ſeſſorem premeret, ratio noſtri domina nihil poſſet. Sine cauſa iraſci mera inſania eſt, cũ cauſa, culbabilis impotentia. Vir potens alios vincit, ſed nõ alios vincit, q ſe ipsũ non ſubmittit. At quæ cauſa iracundiæ? N. me illegitimo coitu procreatum exprobrauit. Vera locutus eſt, an falſa? Si falſa, tua nõ eſt iniuria. Cuius igitur? Ipſius iniurij, quia mentitus eſt. Si vera, ob id etiam iniuria non tua. Cuius? repeto. Dicam ingenuè, ſed

ſed me nihil iratus audi. Sicut, qui imaginem, haud ex arte pictam accuſaret, non imagini, quæ ſe ipſam non pinxit, ſed pictori contumeliam affert: non ſecus, qui te ſpurium nominauit, non te, ſed patrem tuum, cuius culpa ſpurius eſt, offendit. At ſpurium me lædendi animo appellauit. Qui ſcis? Ex qua ſpecula illius mentem introſpexiſti? Non ex ſpecula, ſed ex cordis nuncia, nempè lingua. Bellè quidem! Ergo ignoras, quàm fallax lingua, & quàm doloſa? O quàm ſæpè iſta nuncia rerum gerendarum peritiſſima, alia veſte nuncium induit, in via licet breuiſſima; ſed tamen multis tenebris obtecta! Sed fac, ipſum animo te lædendi ea verba effudiſſe. Quid poſtea? Mea eſt iniuria. Imò alterius magis, quàm tua. Sagittarius telum in hoſtem emittit; amicum verò imprudens figit. Rogo, vbi nam hæreat vulnus. In hoſte, an potiùs in amico? Certè in amico. N. contumeliam in te emiſit, patrem tuum petiuit. Igitur contumelia apud patrem. Quinimò ſi rectè N. animum attendas, nec etiam apud patrem. Igitur neutrum offendit?

Re

Revera neutrum. Non te, quia non potuit: non patrem, quia noluit. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXXI. Eugubium.

MICHAELI ANGELO MEGANINO humanioris litteraturæ apud Eugubinos Profeſſori publico.

FOrtunam ſuam non penitus felicem alij conquerantur: ego cõditioni meæ, vel infra mediocritatem acquieſco. Quies ab amicorum beneuolẽtia, non loci diſtantia, non temporis longitudine intermiſſa. Iſtam ſummas diuitias, ſummam fecilitatem exiſtimo, quam abs te ſupra omnes, liberali accipio, dum, licet negotiorum turba, quàm maximè ingruat, ijs tamen non vinceris; ſed potius vincis, & hiſcè diebus ad me litteras mittis, quæ ſacratiſſimos Paſchatis dies mihi proſperos, ac felices augurentur. Illud, quicquid eſt, tuo in me amori à tuo magis iudicio, quàm ab vllo merito meo ſtatuenti adſcribo: vnde maio-

res

res tibi gratias ago. Tantumdem felicitatis non remitto, quia non habeo, Equidem animo precor, quia poſſum æquè, ac debeo. Verùm, ne quod iamdiù tibi promiſi, longiùs debeam, priores epiſtolarum mearum Centurias accipe, & , niſi quid impedimenti accidat, tertiam, & quartam (eas namque amicorum ſuaſu in lucem cogito) paucis ab hinc menſibus te accepturum ſpera. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXXII. Camerinum.

MARIANO CORADINO.

TYrannum Amorem in meis litteris appellaui, nec diffiteor. Potius fateor, me parum dixiſſe. Veriùs certè Tyrannorum Regem nominaſſem. Nullius Tyranni ferocia cum Amoris ſæuitia contendat. Si Tyrannorum ſupplicia cum pœnis, ac tormentis amatorijs compares, illa dulcia ſunt, & iucunda. Sed fingas, Tyrannos crudeliſſimos, acerbiſſimos. Si ipſe te ſubmittis, illorum æſtuantem iracun-

diam

diam ſubterfugis. Si amori pares, tibi ſeruitutem paris: perpetuum carcerem tibi aperis. Amantes adi, de illorum ſtatu, & fortuna percontare. Audies nihil ipſo amãte miſerius, nihil infelicius. Audias noctes inſomnes, dies turbulentos, ſolitudinis deſiderium, vitæ faſtidium. Num aliquid iſtis miſerijs miſerius? Infernum inquis. Non ſemel oſtendi cauſam, quamobrem Infernũ longè mitius ſit, quàm ipſe amor. Nunc cauſam recentiorem adiungo. Apud Infernum obliuionis fluuium: in Amore nulla, niſi ſuimet obliuio reperitur. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXXIII. Romam.

HERCVLI BONFIOLO Bonon. Senat. & Equiti Sancti Stephani.

QVibus gratijs me, Eques Illuſtriſſime, cumulaueris, alij prædicent: ego humili ſilentio linguæ officium committo. Quod autem reticere non poſ-
ſum,

ſum, libenter audias, rogo. Ego illucuſq. tibi deuinctus ſum, vt nihil ſupra addi poſſit. Quamobrem omnia tibi feliciſſima potiùs, quàm mihi ex opto. Huiuſmodi deſiderium apud me nunquam non tenet: hiſcè ſacratiſſimæ Chriſti Natiuitatis arctiùs adſtringit. Nunc igitur explico, quod diutiùs occludere non debeo. Augurium læta fronte accipias ab eo, qui animi tui probitatem cum magnitudine coniunctam, non ſemel expertus, te Equeſtri ſimul, ac Senatoria dignitate meritiſsimum nouit, æquè, ac nemo, & paci, & bello aptiſsimum prædicare non deſiſtit. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXXIV. Runcos.

FRANCISCO IOANNETTO.

TAnta humanitate me ad ruſticandum inuitas, vt inuitationi non audeam repugnare. Quæ mihi proponis, gratiſsima erunt, quoniam genio meo accommodantur. Hodie ab æſtus remiſsione equum conſcendam, iſtic ſub veſperam affuturus.

Dum

Dum cum amicis ago, conditiones, quæ amicitiam ſeruent, libenter appono. Quãdiù apud te fuero, vti amicus, ſeù potius neceſſarius, non vti hoſpes haberi poſtulo. Mane cum aurora cubitu ſurgam (tu quãdiù libuerit ſomno indulge) & diuino officio recitato, duas horas pulcriorum litterarum ſtudio impendam. Dehinc ſacrum faciam: quo perfecto deambulationi non tamen longæ me dedam. Quod reliquum diei eſt, ex tuo deſiderio, modò fidium pulſatione, quàm optimè calles, modò aliqua honeſta luſione, quæ vtrumq. delectet, laceretur. Conditiones (ſcio) non reprobabis. Alteram diei partẽ tibi, mihi alterã nulli iniurioſus conceſsi. At vnam conditionem, quæ oĩum caput eſt, imprudens omiſeram: Hora xv. prãdiũ, xxiv. cęna paretur. Tunc .n. temporis dentes mihi adeò pruriunt, vt famem egerrimè ſuſtineam. Qui mihi cibũ nonnihil ſuſpendit, bilem in naſum concit. Huic etiam cõditioni parcas, dum genium meum non ignoras: genium (dico) liberũ, præſertim apud amicos, qui libertatẽ, & liberalitatem ſimul affectant. Vale. Bonon.

EPI-

EPISTOLA LXXXXV. Bononiam.

CAMILLO BOLOGNETTO.

NE mireris, vir nobiliſſime, ſi quo tempore animus tuus magis conflictatur, ego te litteris appello. Non meum conſilium eſt, tibi faſtidium exhibere; ſed doloris tui mecum communionem explicare. Tu filium, ego patronum amiſſum deploro. Ergo dolor communis. Cauſa verò non vna, neq. iniuſta; quin multæ, & omnes æquiſſimæ. Æquiſſimæ (dicis tu) ſed nobis inæquales. Quis enim affirmet, filium patri non multo plus carum exitiſſe, quàm patronus clienti? Filios parit Natura: patronos verò fortuna. Ij vbique gentium obuiam cuiq.; illi non adeò facilè reperiuntur. Rectè philoſopharis; vnde animus tuus à Prudentiæ ſolio nihil deiectus, licet non parùm excuſſus. Vt doloris cauſas recenſeam, iſtæ originem ducunt ab immatura filij ætate: à ſpe in animis omnium de illo optimè concitata: ab Illuſtriſſimi Cardinalis Farneſij, cuius ſeruitio ad-

S dictus

dictus fuit, beneuolentia. O æquiſſimas cauſas, & potiſſimas! Quæ tamen poſſunt nobis animi æquitatem miniſtrare, ſi illas ad veritatis calculum deducamus, & dolore ammoto, nobiſcũ meliùs cogitemus. Qui in ærumnis iacet, nonne tanto felicior, quãto citiùs illinc eripitur? Porrò qui, ſpe de ſe ipſo optimè concitata, moritur, nonne ditiſſimus moritur? Optima fama omnium diuitias antecellit. Imò diuitiæ hoc minùs habent cum fama, quod iſtæ nos corporeis vinculis ſolutos deſerunt; illa nos ad ſuperos, mortali tamen ſede nõrelicta, comitatur. Quid dicam de Cardinalis beneuolentia? Illud genus felicitatis nomino, Principem de ſe mœrentem relinquere, cuius gratiſſima defunctum proſequatur memoria. Ille verus, & conſtans amor, cùm abſentem deſideras, quem præſentem dilexeris. Hæc omnia in vnum congeſta ſi animis noſtris ingeramus, iſti omninò defæcati, tibi filio, mihi patrono amiſſo nihil dolendum ſuadebunt; quia non verè dicitur amiſſũ, quod certiore in loco eſt depoſitum. Paulus filius tuus hic apud nos fuit

ali-

aliquando non futurus: nunc verò eſt vbi perpetuò fuerit. Luctus igitur in gaudium vertatur: quia mortalis Pauli vita in æternitatem eſt verſa. Ex Villa.

EPISTOLA LXXXXVI. In Villam.

MATTHAEO SAGACIO Inſignis Collegiatæ S. Petronij Bonon. Canonico renunciato.

ECquis te non amet, non æſtimet, optime Sagaci, ſi quem religio eſt non plurimi æſtimare (parum dixi) non adorare, plurimùm te amat? Tu in villa hiſce temporibus corporis valetudinem depredantibus, animi quietem aucuparis, Summus Pontifex Gregorius XV. in vrbe animum exagitat, nouum aliquod ſuæ in te propenſionis indicium prolaturas. Ob id te in familiarium ſuorum numero adſcriptum, & cunctis, quibus illi fruuntur, immunitatibus donatum, inſignis Collegiatæ S. Petronij Canonicatu honeſtare deliberat,

deliberationem cum fratris filio Cardinale Ludouiſio communicat: ille meritorum tuorum optimè conſcius, hanc ipſam per litteras cum Archiepiſcopatus ſui Suffraganeo communicat, vt litteris ſtatim acceptis, dignitatem in te cõferat, nullam reiectionis abs te cauſam accipiat, iubet. O verè aureum illud Gregorianum! *Dignitates appetentem fugiunt, fugientem appetunt.* Quàm multi ſupplicibus libellis hoc ipſum exoraturi Pontificem Maximum adijſſent! & tamen ille imperio ſuo te adit: quod affectari conſueuit, tibi irrogatus tradit. Illic dignitatem non conſidero (hãc enim communem habes cum multis) ſed Summi Pontificis iudicium magni facio. Is maximis, & frequentibus curis oppreſſus, curas in te, vel abſentem inclinat, honoris tui auctionem curat. At in Romana Curia nonnullos menſes commoratus, vnam animi quietis, quam diuino beneficio munus accepi, fruitionem ambire multis quidem patronis, ſed præcipuè Cardinali Ludouiſio non ſemel affirmaui. Ille vero? Me ſummum inter homines bonum ambire ſubridens,

dens, reſpondit. Reſponſum certè prudentiſſimum, & Card. Ludouiſio dignum. Sed quid tandem? Iſte honos te ab animi quiete deturbabit? Imò Polypi inſtar retinebis. Illud profectò eſt quiete viuere, maximi, atque optimi Principis optimum, maximúmque de ſe iudicium poſſidere. Iſtam poſſeſſionem ſupra Medorum, & Perſarum diuitias æſtimandam tibi etiam atque etiã gratulor, indeque te nullis frementibus inuidiæ ventis extrudendum auguror. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXXVII. Bononiam.

SEBASTIANO MAVRITIO I. C.

O! Virum à ſe ipſo nũquam diſſimilem, qui aut rarò, aut breuiter ſcribit. De raritate quamuis pluribus litteris tecum expoſtulauerim, nunc de eadẽ pauca, quæ breuitatem etiam attingant, liceat recenſere. Equidem ſatis nequeo admirari, te annos ipſos Antonini, Sylueſtri, Nauarræ

ſummis euoluendis defatigatum, fœnera indefatiganter exercere. Iſta ſacerdotio initiatis peculiariter interdicta ni didiciſti, turpe omninò eſt, tempus cum labore ſimul fruſtra abijſſe. Secus ſi accidit, illud non iniurius tibi exprobo, non æquum facis, qui, quod didiciſti, adeò facilè dediſcis. Vt cumque ſit, fœneratò ad me ſcribis, cum ſingulis epiſtolis haud prolixis, quinas, quæ alteram manum impleant, poſtulas reponi. Te huiuſmodi vitio laborantem Euclionem appello, aut cum recogito, Euclione ipſo auariorem agnoſco. Ille Coruum, qui crocitatione theſaurum effoſſum à furibus cuſtodiuit, vt aliquid boni diceret, accerſebat: tu hominē tui amantiſſimum, cuius crebra ſcriptione eloquentia quouis theſauro ditior non cuſtoditur, ſed paratur, communiſſimis verbis negas impertire. Parum abfuit, quin illud tibi ſim imprecatus, vt à doctoratus gradu, ne dicam doctrina (hæc enim auferri non poteſt) deuoluaris: cùm Iuris prudentiam, adeò iniquè colas, vt Aſtreæ membrum audeas mutilare. Ipſam, credo, libenter

benter obtruncares: at impietas tua Cœlum, quo virgo caput condidit, ne quicquam valet penetrare. Membrum, dico, Aſtreæ mutilas: quoniam apud te *alius eſurit, alius verò ebrius eſt*. Multis te non adeò fortaſſe libenter audientibus verba inceſſanter funditas, me iiſdem, quaſi Tantalum inhiantem prohibes auariſſimus. Hæc omnia per iocum familiariter expreſſi; eo tamen conſilio, vt iocans crebriores, ac longiores abs te litteras impetrarem. Tenaliæ noſtro plurimam à te ſalutem dixi: ſed cur clauos extrahentem nominaſti? Illius mores contemplatus, veriùs dixiſſes clauos immittentem: enimuerò nauim, cui operam nauat, audiui

Sæpè tritam, ſæpè fixam, ſæpè excuſſam malleo.

Sed ne malleus manubrio inſipientiorem præſeferat, metaphoras, & calamum pono. Vale. Bononiæ.

EPIST. LXXXVIII. Foroſempronij.

CAESARI ACTIO I. C.

IAm diù à ſapientum virorum dictis illud opinio mea imbiberat, magnam honoris partem, qui virtuti exhibetur, in exhibitorem ipſum deriuari. Nunc verò non amplius opinio, vnde nebulæ, quaſi fumus vento agitatæ in aures euaneſcunt; ſed mera experientia, cui optimæ rerum magiſtræ ſenſus non falſus acquieſcit. Nudius tertius Ioannem Baptiſtam Barcellinum amicum tuum, iuuenem optimis artibus, æque, ac nobilitate ornatum, qui huc ſtudiorum cauſa ſe contulit, honoris cauſa ſalutaturus adiui. Is me humaniſſimè exceptum varijs honoribus impertiuit: ſed omnium maximus fuit à tuorum Italicæ linguæ carminum lectione. Non ſemel, quaſi a te iuſſus, meam de illis ſententiam voluit extorquere. At ego. Cuius ſunt? Ille ſubridens: Cæſaris Actij, reſpondit. Tum addo, illud ſatis ſuperque dictum, Cæſaris Actij sũt, cuius actio, ne dum ſcri-

ptio

ptio nulla non laudatiſſima, quoniam cunctis partibus abſoluta. Ingenioſam inuentionem, rerum varietatem, ſtyli elegantiam, profundam eruditionem, lepòrum, & ſalium affluentiam à congrua maieſtate non alienam exprimant viri dicti, quorum facundiam, ad maiorem Poetæ reuerentiam, malo tacitus venerari, quàm eiuſdem meritis minora in medium afferre. Iſta Horatianum illud non oblita,

—— mediocribus eſſe poetis
Non Dij, non homines, non conceſſere columnæ,

ſummum faſtigium contigerunt. Et tamen liber omnium aſpectu digniſſimus apud te modeſtiæ vinculis in obſcuro carcere detinetur. Si aliquando amicorum ſuaſu in publicam orbis ſcenam prodierit, vt detractorum, ſi qui fuerint, linguis inuidiæ abſinthyo infectis ſe liberet, tacitè apud ſingulos exclamabit. *Noli me tangere, Cæſaris ſum*. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LXXXXIX. Domum.

MARCO ANTONIO BERNIAE.

CVm præſentibus epiſtolam dedicatoriam à te multùm deſideratam accipies. Niſi ex tua, & illorum, de quibus agitur, ſententia ſcripta ſit, culpam in te ipſum, non in alios deriua. In te ipſum, dico, qui parui ingenij, parui iudicij ſcriptorem adijſti. Mitto, vt deſiderio tuò, & fidei meæ, cui me miſſurum credidiſti, ſatisfaciam. Amicitiæ leges didici, & retineo, vt amicorum copiam, quam meis meritis nequeo, ſtudioſiſſimo cultu, & obſequio retineam. Tu illud agas, animi mei propenſionem accipias. Iſtam & Excellentiſſimo Petro Poterio, & Reuerendiſſimo Congregationis Sancti Saluatoris Generali obijcias. Dicas, me vtrumque ex æquò laudare voluiſſe; ſed voluiſſe, quod mearum virium tenuitatem ſuperat. Et tamen de illorum meritis nihil detraxi; quinimò multum reliqui. Si quod reliquerim, quæras, ingenuè dicam. Illud reliqui,

liqui, vt omnes illorum laudes magis extollant, dum minùs ęquo à me laudatos affirmabunt. Vale. Ex Ædibus.

EPISTOLA C. Bononiam.

ALPHONSO BAVOSIO
Totius Congregationis S. Saluatoris Generali meritiſſimo.

QVi proprios ingenij fœtus in lucem edere conſilium capit, duo potiſſimum ſibi proponit: alterum, vt maturos emittat: alterum, vt obſtetrici, quę benigniſſimis vlnis, contra inuidorum iniurias, amplexetur, committat. Me verò de alieno partu publicæ vtilitati edendo cogitantem altera cura ſubterfugit, ſeu potius illam ſe ſe menti obijcientem ſubterfugi. Quid enim cogitem de fœtus maturitate, qui ab Excellentiſſimo Petro Poterio, vnde nihil non maturum, non omnibus partibus abſolutum, proficiſcitur? Huiuſmodi cura me liberat ipſe liber magnus non mole, ſed opere: magnus ingenio,

nio, magnus iudicio. Hunc omnes, qui benè ſentiant, laudabunt: inuidi, cum ex merito laudare nequeant, ſilebunt. Si qui verò deblaterent, auctor ſtrepentibus illorum vocibus adactus, immortalitatis viam, quam ingreſſus eſt, Pharmacopæa Spagirica celeriùs confecerit. De iſta re Chriſtianiſſimum Regem appellemus, qui Petrum Poterium Maieſtatis ſuę medicum, & Conſiliarium nominauit. Huic Romana Curia aſſentitur, quæ licet ob ſui magnitudinem, nihil, vel maximum, non tamen paruum exiſtimet, cùm inter magnos medicæ artis profeſſores maximum iudicauit. Iudicium atteſtatur non vnus Senator Purpuratus, qui ab auctore in Vrbem quàm citiſſimè accito valetudinem ammiſſam recepit. Id ipſum Coſmus Magnus Dux Etruriæ pro ſua: id ipſum Dux Mantuæ pro Vincentij fratris ſalute declararunt. Id ipſum loquuntur Veneti, Florentini, necnon alij populi, qui ad eum, quaſi ad Æſculapium lethò, letiſſimè eximendi confugiunt. Tu quoque, Reuerendiſſime Pater, idem loqueris, qui diù capite

peri-

periclitatus, à medica illius manu ſine periculo abijſti. Iſta tui curatio non vulgaris haud temerè in ipſius libri fronte apparet: nempè, vt qui ante omnes præcellentem auctoris in medicina ſcientiam prodis, eiuſdem libri inſcriptionem honeſtes. Sed ceſſet hæc cauſa, quoniam alia ſuccedit longè pluris facienda, tua, in quam, diſciplinarum omnium peritia. Quid potiſſimum loquar de Theologia? Loquantur libri à te ſapientiſſimè conſcripti, & præſertim qui Græcorum errores arguit. Enimverò, qui agnoſcunt, dillaudant, & in ipſa agnitione admirantur, reuerentur. Addo eximiam in rebus adminiſtrandis prudentiam, quæ ſingulari doctrinæ coniuncta, te actorem, & contemplatorem (hæc enim ſimul dificillimè coire ſolent) clariſſimè oſtẽdunt. Coniunctio, quam admirari licet, non imitari, te varijs in iſta celeberrima Congregatione muneribus, poſtremò Generalatus dignitate per primum triennium decorauit; ſic decorato ſecundum, ac tertium adiunxit: vndè omnes facilè conijciunt, neminem eſſe, qui adminiſtrationem

tuam perpetuam non deſideret. Sed certè erit perpetua: quoniam perpetua erit rerum abs te geſtarum memoria. Mitto, quæ oculis non ſubiacent, ne videar teſtimonium adducere illarum rerum, quæ à multis in dubitationem adducuntur. Adhuc ſurgit apud nos pulcherrimum D. Saluatoris Templum tuo imperio, tuo auſpicio inchoatum, animi tui celſitudine perficiendum. Hinc alterius Templi vetuſtate prudentiſſimè remota, omnia apud te, quamuis bona ſint, in melius commutari dignoſcuntur. Quinimò Templun non immutatum, transfiguratum eſt: adeò vt illac prætereuntes in ſuì ingreſſum alliciat, ingreſſos in piam admirationem rapiat. Imò nullus non lapis, & præcipuè quem tu primum omnium ad fundamentorum extructionem conieciſti, feſtiuam auri copiam re vera inſumptam, ſed non minori prudentia, quàm religione collocatam prędicat. Cùm igitur etiam lapides, qui ſenſu carent, in tuì ornatum linguam accipiant, cur ego tuas laudes in præſens recenſeam? Hoc vnum pro clauſula recenſeo,
me

me clientem viuere meritorum tuorum magnitudini addictiſsimum, cuius inueteratæ, quamuis tacitæ clientelæ, præſentis libri munus non obſcurum, rogo, iudices teſtimonium. Vale Bononiæ.

FINIS CENT. IIII.

Digitized by Google



BONONIÆ,

Typis Hæredum Bartholomæi Cochij.

M DC XXIII.

Superiorum permiſſu.

Impenſis Peregrini Golfarini.

Digitized by Google